Edit. I pag.

3) *Langius* in alia omnia abit, ac l. d. ait: — *qui negligenter, immo perperam præfuit: plures quippe ſemper hoſtes habuit, ac eccleſiam multis debitis aggrauauit.* Sic ſatis acriter, modo vere.

4) Mortuus bonis ſui reliquit deſiderium: quos inter *Conradus Mutianus Rufus* epiſt. CCCLVIII p. 174 *Defleui fatum*, inquit, *repentinum Pontificis prudentiſſimi, teſte panniculo, quo tergebam hos oculos.*

883

# ALBERTVS II,
## ab aliis
# ADELBERTVS IV.

I

PAtrem habuit Brandenburgicum Electorem *Ioannem*, fratres *Ioachimum* & *Ioannem Albertum* *: quorum ille fuit patre mortuo Elector; hic vero Canonicus Moguntinus.

*ortus ſtirpe Marchionũ Brandenburgenſium.*

1) ALBERTVS lucem adſpexit anno MCCCCXC. *Reineccius* origin. ſtirpis Brandenburg. p. 39. Patre natus, vt auctor iam notauit, *Ioanne*, Electore Brandenburgenſi, qui a procera & heroica corporis ſtatura, ſummaque per Imperium auctoritate *Magnus*, ab eloquentia vero *Cicero Germanicus* cognominatus fuit. *Idem* l. d. p. 38. Matre *Margareta*, *VVilhelmi III*, Saxoniæ Ducis, filia. *Idem* l. d. p. 37. Nec enim audiendus hic *Leuckfeldius*, qui antiquitat. Gröningenſium cap. IV §XL. p. 54 matrem ei fuiſſe dicit *Eliſabetham* Danicam. Fratrem habebat *Ioachimum*, patris, vt auctor haud tacuit, in dignitate Septemuirali & Marchionatu Brandenburgico ſucceſſorem. * Patruelem vero *Ioannem Albertum:* quem dum auctor ei hic fratrem dat, fallitur. Notum enim, quod is patre *Friderico* (qui vulgo *Senior* dictus eſt, ac in auiti diuiſione patrimonii Burggrauiatus Norimbergenſis inferioris terras, Principatum Onoldinum complexas, accepit) matre vero *Sophia*, *Caſimiri IV*, Regis Poloniæ, filia, prognatus fuerit.

Dictis nonnihil lucis fœnerabitur, quod ſubiicio, ſchema.

ALBERTVS
vulgo *Achilles Germanicus* dictus,
Elect. Brandenburgenſis.
vx. I *Margareta*, *Iacobi*, Marchionis Badenſis, f.
II *Anna*, *Friderici*, cognomento *Placidi*, Elect. Sax. f.

| I | I | 2 |
|---|---|---|
| *Ioannes*, Elect. Brandenburg, vx. *Margareta*, *VVilhelmi*, Ducis Saxon. fil. | *Fridericus*, dictus *Senior*, Marchio Onoldinus, vx. *Sophia*, *Caſimiri IV* Reg. Polon. f. | *Sigiſmundus*, Marchio Byruthanus, † 1495, ἄγαμος. |

*Ioachimus*, Elect. Brandenb. — ALBERTVS, *Archiep. Mog.* — *Caſimirus*, Marchio Byruthanus. — *Georgius*, Marchio Onoldinus. — *Albertus*, prim' Pruſſiæ Dux. — *Ioannes*, Prorex Valentiæ. — *Wilhelmus*, Antiſtes Rigenſis. — IOANNES ALBERTI *Canonicus Moguntinus*, & ab an. 1538 vsque ad 1549 *Cuſtos*; ab anno 1545 *Archiep. Magdeb.*

*bonis litteris fuit exultus.*

2) Cum bonas litteras, vna cum fratre, ſingulari addidiciſſet diligentia, magnoque earum in melius prouehendarum deſiderio flagraret, eidem poſtea in academia Francofurti ad Viadrum inſtituenda omni conſilio affuit, opeque. id quod *Ioan. Behmius* in dedicatoria duarum orationum hiſtoricarum, *de duplici diuinæ gratiæ fundamento, cui Boruſſiaca academia ſuperſtructa*, p. 8 dudum prædicauit, ex eaque *Crenius* in epiſtola nuncupatoria parti XV animaduerſionum philologic. & hiſtor. præmiſſa p. vt ego numero, 9 repetiit.

II Factus vero erat Archiepiſcopus Magdeburgenſis, & Germaniæ Primas, eccleſiæque Halberſtadenſis Adminiſtrator anno Domini MDXIII; ſed cum eſſet etiam Canonicus Moguntinus, & Treuirenſis, e vitaque non ita pridem migraſſet Moguntinus Archiepiſcopus *Vriel*, prout ſupra vidimus, concordi omnium ſententia & voce, a Moguntino Capitulo toto, illius in locum ſuffectus eſt anno Domini MDXIV, die IX Martii: ſtatimque acceſſit Leonis X approbatio; a quo Cardinalatus etiam dignitate auctus eſt, & anno MDXVIII ab illius Legatis

gatis Cardinale *Thoma Caietano*, *Matthia* Cardinale *Gurcensi*, vt est in *Bruschio*, & *Cratepolio*, (*Saltzburgensis* dicitur in MSL.) dignitatis eius insignibus redimitus Augustæ Vindelicorum. Quia enim magnæ ipsi, & ecclesiæ Dei a Satana impendebant tempestates, multis ac magnis eius tam corporis, quam animi nobilitatem viribus firmare, ac obsepire voluit Dominus, vt cum interiore gratia & ope iunctæ mundi huius vires, possent ex orco erumpentis, immaniterque furentis hæreseos impetum, si non omnino (cum aliud flagitarent peccata nostra) coercere, inhibere tamen aliquantulum, & retardare, vel impedire. Edit. I p. 883

III Nam cum indulgentiarum quarundam huic a Pontifice demandata esset promulgatio, & ab hoc, Prædicatoribus Dominicanis, in quibus excellebat *Ioannes Tetzelius*, imposita, cœpit Augustinianus inuidere monachus, *Martinus Lutherus*, iniquoque ferre animo, se, quem vana quædam doctrinæ, Germanicæque loquentiæ opinio pridem inflarat, illi postpositum. Scripsit igitur contra indulgentias disputationem, propositionibus XCV comprehensam, eamque Wittenbergæ ad arcis templi valuas affixit anno MDXVII, pridie omnium Sanctorum, eodemque die de eodem argumento ad Reuerendissimum & Illustrissimum Archiepiscopum hunc nostrum dedit litteras, in quibus longe aliter, quam postea docuit, dicit, *ne per infusam quidem gratiam posse hominem suæ salutis certum fieri: & in timore, ac tremore, vt salui efficiamur, connitendum esse.* Sic in theatrum funesta hodiernarum calamitatum, ac tot, tantarumque dissensionum, & errorum tragœdia sensim adducta; de cuius prologo iam satis.

*ad ecclesiasticos adspirat honoret.*

1) Ecclesiastico vitæ generi ab adolescentia destinatus, primum Moguntiæ & Treuiris ad cleri principalis adscriptus fuit cœtum, vt vel ipse auctor § II memorauit. Dein anno MDXIII, die XXXI Augusti *Ernesto* Saxoni in Archiepiscopatu Magdeburgensi & Præsulatu Halberstadiensi surrogatus est. *Langius* chron. Citiz. p. 901, *Leuckfeldius* l. d. p. 54. Quas quidem dignitates Leo X P. M. hac ipsi primum lege firmauit, vt vtrumque munus *Administratoris* siue *Vicarii* solum titulo obiret, donec XXVII ætatis annum attigerit: post vero ea conditione; vt quamprimum XXV iniisset annum, id plena Archiepiscopi & Præsulis fungeretur auctoritate.

*magnam de se spem praebet.*

2) Magnam vero, cum munia hæc adiisset, passim de se spem præbuit. *Hic Deo dignus Antistes*, ita *Langius* l. d. pergit, *cum affectu in Superos arderet deuotissimo, memorato germano fratre consentiente, hoc ipso anno Presbyter ordinatus, primitias octaua Paschæ celebrauit, & Capellam seorsum cum VIII Presbyteris prabendatis apud Coloniam Rhenensem* (s. Sueuorum) *a fundamentis erexit & fundauit, dotauitque & optime prouidit. Et ita inprimis se deuote & laudabiliter habuit, clericorum reformationi & reipublicæ paci & tranquillitati operam dans, adeo, vt a cunctis admiraretur & adamaretur.*

*fit Archiepiscopus Moguntinus.*

3) Anno sequenti MDXIV, inaudito pæne exemplo, Archiepiscopus etiam Moguntinensis salutatus est. Id quod *Conrado Mutiano Rufo*, Gothæ ad D. Virginis tum Canonico, tantam mouit admirationem, vt in epistola ad Vrbanum, quæ CCLXXXV est, p. 149, calamo nonnihil liberiore scripserit: *Magna rerum mutatio. Vuus iuuenis, vix pædagogos & rudimenta litterarum relinquens, vno anno fit ter Præsul, & quidem eminentissimus. Miror, si Leo X clenam (vulgo pallium vocant) transmittat. Sed Romæ quid non venale? Videbis penulatum Albertum, cui Deus constantiam atribuat. Mutato enim consilio plus nocebit, quia potentissimus, Erphordiæ, quam prodesse censetur.*

*confirmatur a Pontifice.*

4) Vti vero Pontificis approbaretur iudicio, palliique donaretur honore, Romam misit *Thomam*, Comitem Rieneccensem, ædis summæ tum fungentem Custodia, *Theodericum Zobel*, & *Martinum Truchsess*, Canonicos maioris, nec non *Philippum* de *Stockheim*, Cantorem S. Albani; qui cum redditis Papæ litteris mandata diligenter exposuissent, Leo, re cum Cardinalibus mature deliberata, electum litteris XV Kal. Septembr. datis, & confirmauit, ac vtrique Archiepiscopatui præesse iussit: aliis vero, ipsis Kalend. Septembr. signatis, pallii condecoratus gestamine: hac tamen prioribus conditione adiecta, vt ante, quam Archiepiscopatus Moguntini administrationem susciperet, Sedi Romanæ coram Spirensi & Brandenburgensi Episcopis, interposita sacramenti religione, deferret obsequium.

*donatur pallio.*

*venit Moguntiam.*

5) Die VIII Nouembris flumine secundo venit Moguntiam, ante portam piscariam a Clero tantis exceptus studiis atque honoribus, quantis a multis annis Archiepiscoporum nemo alius. Per eam magno stipatus comitatu, progressus est in ædem maiorem, & antiphona *de S. Martino* in medio templi decantata, ad locum Capitularium conuentibus destinatum, vt iurisiurandi religione firmatam ecclesiæ Moguntinæ fidem daret. Hac data, in ædem ad summam perductus aram ipse demum enixus, ac *in signum realis & actualis possessionis* impositus sedit. Qua cæremonia finita, inter confertissimam affluentium turbam ad arcem *S. Martini* concessit, mille equitum & mille peditum deductus agmine.

*Missam in ade summa celebrat.*

6) Die dein D. Martino festa apparatissima pompa, Pontificis indutus amictu, Missæ peregit sollemnia, Episcopo Vicecomponensi, & quinque

Edit. I p. 883

quinque Abbatibus, Fuldenſi ſcilicet, Eberbacenſi, S. Iacobi, montis D. Ioannis in Rhingauia, & Seligenſtadenſi adſiſtentibus & ſubſeruientibus. Finito officio diuino in area ante caſtrum *D. Martini* donum, quod honoris cauſſa Clerus dabat (*propinam* vulgo vocant) beneuolo cepit affectu, pollicitus, ſe priuilegia eidem ac immunitates confirmaturum.

*pallio induitur.*

7) Legatis, quos Romam miſerat, die ſabbati poſt Andreæ reuerſis, pallium, quod afferebant, ſollemni Cleri Moguntinenſis occurſu ante portam, quam modo dixi, piſcariam ſuſceptum, & in æde maiori, poſt hymnum Ambroſianum læto cantu abſolutum, in armario illius reconditum eſt. Quod dein die Veneris poſt D. Thomæ ferias, ſacro Miſſæ officio ab eo, cui commiſſum erat, decantato, flexis ipſe genibus ante aram coram Epiſcopo Brandenburgenſi procumbens, Bullis Papalibus lectis ac iureiurando Sedi Romanæ præſtito, accepit. Sequenti vero die in æde D. Petri extra mœnia Moguntina petentibus ordines tam maiores quam minores, hoc honoris Archiepiſcopalis inſigni incinctus, contulit.

*natali Chriſti ſollemnitur diuinum peragit officium.*

8) Feria tandem Chriſti incunabulis & natali ſacra diuinum officium in æde primaria ſollemni cæremoniarum apparatu celebrauit, *Thoma* Comite *de* Rieneck, Cuſtode, *Laurentio Truchſeſs*, Scholaſtico, *Georgio* Comite *de* Henneberg, & *Ioanne* de *Erenberg* miniſtrantibus, tanto quidem vtriusque ſexus confluxu, vt multitudini capiendæ vix locus ſupereſſet. Leo enim X P. M. omnibus ſollemni confeſſione vitæ anteactæ ſordibus expiatis *plenarias a pœna & culpa indulgentias* conceſſerat, qui officio huic intereſſent.

*SS. Rabani & Maximi reliquias Halàtranſfert.*

9) De cetero, cum non longe poſt initi Pontificatus auſpicia ſacras Moguntiæ obiret ædes, videns, ſanctas primorum Moguntinenſis eccleſiæ Pontificum reliquias in D. Albani baſilica in minori fere, quam par eſſet, veneratione haberi, auctoritate non minus Apoſtolica, quam Ordinaria, vſus, corpus *B. Rabani* Archiepiſcopi totum, & *S. Maximi* dimidiam partem Halam Magdeburgicam aſportauit, ac anno ſequenti MDXV in æde caſtri, vulgo *Moritzburg* appellati, quam nuper demum conſecrarat, ſollemni cæremoniarum apparatu depoſuit. *Trithemius* in vita S. Maximi cap. XIX; quem auctor ſupra lib. II cap. XXVI § III, lib. item IV, in *Rabano* § XXIV, & hic § VII ſequenti exſcripſit.

*Iudicium aulicum inſtituit.*

10) Hæc inter cum comperiſſet, ſuperioribus temporibus lites, vel otio ac ceſſatione iudicantium, vel ea paucitate, quæ impar erat cauſſarum multitudini, æquo longius protractas; quin haud paucas perennare; ne quid in poſterum, vt hactenus, damni ex iuſtitiæ neglectu in populum ſibi ſubiectum deriuaretur, anno hoc MDXV, Lunæ poſt dominicam *in Albis*, peculiare tum litibus, controuerſiis, cauſſisque diſceptandis, tum appellationibus ſiue prouocationibus recipiendis inſtituit tribunal (*Iudicium aulicum* id vocari notum) cum poteſtate iuris reddendi, quoties eſſet, qui illud poſceret. Dicundo autem vndecim conſtituit iuſtitiæ adminiſtros; quorum vnus Iudicis fungeretur munere; ceteri vero adſiderent: pars, ſummis in iuris ſcientia honoribus inſigniti; pars, genere nobiles; omnes moribus & virtute ſpectati. Iudicem vero ſemper eſſe voluit prudentia, auctoritate, ſplendoreque natalium tanto muneri parem, Comitem, Baronem, vel minimum antiqua, nobilique maxime ortum proſapia. Primumque tum partes iſtas impoſuit *Ioanni* de *Lune*, dicto *Mohr*, Vicedomino Moguntiæ, viro, vt maiorum imaginibus, ſic æqui rectique ſtudio ſua ætate quam clariſſimo.

*ignoſcit Mülhuſanis.*

11) Non longe poſt, qua dominatum benignitate temperaret, Mülhuſanis planum fecit. Infeſto illi impetu in cœnobium tractus Eichsfeldenſis Reiffenſteinenſe illati, nonnulla per vim egerant ac furorem; nunc vero, facti pœnitentes, propitiandum ſibi ducebant, in quem auſu hoc non leuiter peccarant. Cum ita veniam poſtularent, Albertus haud difficulter ſe exorari paſſus eſt, vindictæque hanc admiſcuit lenitatem, vt mulcta mille florenorum contentus, cum alioqui longe grauius in eos conſulere potuiſſet, priſtinam in gratiam reditum eis patefecerit. Factum id ipſa dominica *Exaudi*.

*monaſterium Auguſtinian. Islebiæ priuilegio afficit.*

12) Mox non ſolum *Alberto*, Comiti Mansfeldenſi, permiſit, vt religionis bono prope Islebiam ædi *D. Annæ* pro *FF. Eremitis*, qui ex *D. Auguſtini* regula viuunt, cœnobium adſtrueret; verum etiam, eidem hoc magis gratificaturus, id omnibus iuribus ac priuilegiis, quibus cetera in diœceſi Moguntinenſi cœnobia fruuntur, honeſtiſſimo diplomate, die XVIII menſis Iunii dato, exornauit. V. *cod. Dipl.*

*in Saxoniam ſe confert.*

13) Exinde *Eberhardo*, Comite Königſteinii & Diezæ, Dynaſtæ Eppenſteinii & Münzenbergæ, Locumtenentis auctoritate ſummæ rerum impoſito, perrexit in Saxoniam, Aſchaffenburgo Lunæ poſt D. Laurentii ferias profectus. Habebat ad cuſtodiam corporis centum & quinquaginta equites armatos, qui rubri coloris, quo induti erant, veſtitu, galeisque ſplendentibus (*gliſſenden haupt-harnaſch*) inſigni erant adſpectu. Ex itinere primum Ameneburgi, dein Heiligenſtadii, poſt Duderſtadii, locis omnibus quam honorificentiſſime exceptus, populum obſequii religione ſibi deuinxit, ac tandem, Veneris poſt diem decollati Ioannis Baptiſtæ memoria celebrem, ſe Halam ſanus ſoſpesque appulit.

*monaſteriis Conradsdorf & Himmelthal conſulit.*

14) Sequenti MDXVI & parthenoni *Conradsdorf* & clauſtro *Himmelthal* proſpexit. Illi quidem, *Theobaldum* de *Babenhauſen* Præpoſitum, quem ſanctimoniales elegerant, auctoritate Archiepiſcopali confirmando; huic, veſtalium mores vitamque ad veterem diſciplinæ reuocando ſeueritatem.

*indulgentiarum conſtituit praconem.*

15) Enimuero, iam anno MDXV, die vltima Martii, vna cum *Guardiano* FF. *Ordinis*, vt vocatur, *Minorum* de obſeruantia, Conuentus Moguntini, *Alexandro Molitoris*, a Leone X P. M. conſtitutus erat, vt per prouincias Moguntinenſem, Magdeburgenſem, & Halberſtadienſem, terras item Marchiona-

tus Brandenburgici indulgentias siue criminum publicaret condonationes. Vid. *Pallauicinus* histor. concil. Trident. lib. I cap. III n. 7 p. m. 6. Hinc anno, quem nunc inimus, MDXVII, iuxta cum *Alexandro*, XII mensis Februarii die, *Iodoco Lorcher*, Decretorum Doctori & in Theologicis Baccalaureo, parochialis Nouoforensis Curioni, ac *Georgio Behem*, Norimbergæ Præposito ad D. Laurentii, diœcesis Eichstadtensis, nec non *Ioanni Neubar*, Herbipolensis ecclesiæ Vicario, Theolog. Licent. omnimodam potestatem dedit, cistas in locis, in quibus sacratissimæ crucis erigeretur signum, ponendi, Sacerdotes, queis populus conscientiam aperiat, constituendi, consanguinitatis in tertio vel quarto gradu gratiam faciendi, pretium pro indulgentiis consequendis statuendi, aliaque omnia exercendi, quæ Pontifex in litteris suis mandarit ac concesserit: his tamen additum, vt pecuniam in arculas illatam nonnisi tabellione publico & testibus præsentibus dinumerent; dinumeratæ summam vero in tabulas authenticas semper referri curent.

*certa istiu mandata dat.*

16) Aliis dein litteris, Aschaffenburgi Iouis post dominicam *Exaudi* datis*, omnibus, quibus istas piaculorum relaxationes prædicandi negotium datum erat (*Subcommissarien* & *Mitdeputirten*) mandauit, vt clauium ad cistas in templis ad stipem colligendam positas alteram Iacobo Fuggero tradant, nec quam illarum referent, nisi in ipsius præsentia. Sibi enim & Collegæ proxime a Papa per litteras sub anathematis interminatione iniunctum, vt id curæ sibi habeant, ac Fuggeris vel eorum Procuratoribus dimidiam pecuniæ collectæ partem numerent.

* *Habes eas in codice Diplomatico, vna cum Instrumento quodam* Henrici Sylonis *de recluſa Francofurti in æde D. Bartholomæi memoriæ dicata id genus cista, & pecunia dinumerata.*

*librorum edendorum constituit censores.*

17) Cum vero per id temporis plura in lucem prodirent, quæ doctrinæ receptæ, bonisque moribus contraria videbantur, saluti animarum, vt ipse prodit, noxia, & non raro in personas dignationis haud modicæ iniuriosa, ipse *Paulo*, Episcopo Ascalonensi, suo in pontificalibus muniis Vicario, & *M. Iodoco Trutvetter*, Doctori Theologo, ac Erfurti ad B. M. V. Canonico, litteris Moguntiæ die mensis Maii XVII signatis, id mandauit negotii, vt librorum prelo subiiciendorum curatam agant censuram, ne cum bonis seminibus spinæ coalescant, vel medicinis venena intermisceantur; bonos & vtiles edi permittant; noxios contra reiiciant: insuper, quos ex iam editis fidei morumque sanctimoniæ officere perspexerint, ne porro vendantur ac diuulgentur, prohibeant. Ceterum per totam diœcesin Moguntinam in hæreticæ prauitatis suspectos summa cura studioque inquirant; reos, cuiuscunque etiam dignitatis, status, ac præeminentiæ sint, coerceant, castigent, puniant, in eosque ea omnia statuant, quæ hæreticæ prauitatis Quæsitorum ad compescendos id genus homines esse norint. Tabulas ipsas, vt legere possis, dedi in codice Diplomatico.

*cum Septemuiris tractat de Comitiis habendis.*

18) Sub tempus æstiuum Moguntiæ tractatum fuit de Comitiis habendis. Conuenere autem eo Treuirensis, Colonienſis, Palatinus, & Brandenburgensis Electores; quos omnes exquisito honorum omnium atque officiorum genere excepit Albertus, humanitatisque, quod cohonestandis illis esset, nil quicquam prætermisit.

*quid occasionem dederit Luthero disputandi contra indulgentias.*

19) Contigit post, cum *Ioannı Tezelio*, instituti Dominicani monacho, partes indulgentias in Saxonia promulgandi demandasset, vt *Lutherus* Wittembergæ propositiones, de quibus auctor § III, aduersus eas ederet. Vtrum vero ex ea, quam *Serarius*, Latomum, aliosque secutus, vult, caussa, non est, vt hic disquiramus. Conferri possunt *Seckendorfius* aduersus Maimburgium lib. I sect. VII § VII p. 16 & sq. sectione item IX § IX p. 23, & nouissime *Tenzelius* in opusculo posthumo, *Historischer Bericht vom anfang vnd ersten fortgang der Reformation Lutheri* inscripto, cap. II § XXII & seq. p. 131 & seq. Tezelium vltra limites progressum, tum statim *Carolus Miltizius*, Canonicus Moguntinus & Misnensis, Leonis X a cubiculis & in Germaniam Delegatus, litteris an. MDXIX ad Degenhardum Pfeffingerum scriptis, fassus est; nostris vero temporibus nec *Maimburgius*, S. I. Theologus, lib. I histor. Lutheran. sectione VI iuit infitias.

*clausſtrum Trumbach confirmat.*

20) Sub anni MDXVIII secuti exordium clausſtri, *Trumbach* dicti, fortunis ac saluti prouidit. Cum enim *Franciscus Sickingius* & *Hedevvigis* de *Flersheim*, coniuges, id multis & laboribus & impendiis restituissent, liberalique ditatum censu VII tradidissent *Beguttis* siue virginibus, ex *D. Augustini* norma victuris, ipse non modo illud sua firmauit auctoritate, ac honestissimis instruxit priuilegiis; verum etiam Sigillifero Moguntino & Priori cœnobii Schwabenheimensis, Ordin. Canonicor. regular. de obseruantia *S. Augustini*, commendauit; sanctimonialium disciplinam, instituta, mores eorundem fidei committens ac tutelæ; qua de re operæ pretium erit inspicere tabulas tum II Ianuar. die editas, in codice Diplomatico.

*in Saxoniam abiens*

21) Cum vero tum temporis iter meditaretur in Saxoniam, vt Magdeburgensis pariter ac Halberstadiensis ecclesiarum commodis præsens inuigilaret, in tractu Archiepiscopatus inferiori summæ rerum Locumtenentis titulo præfecit *Laurentium Truchsess* de *Bommersfeld*, ædis summæ Decanum; in superiori *Reinhardum*, Comitem *de* Rieneck, Vicedominum Aschaffenburgensem. Litteræ, quibus id Præfectis, ceterisque ditioni Moguntinæ subditis denuntiauit, datæ Aschaffenburgi *vff Montag purificat. B. V.*

*Locumtenentes Archidiœcesis constituit.*

*Wizzenhusa Wilhelmitis subuenit.*

22) Ex itinere Heiligenstadii die XVIII Februarii Sodalium, qui Wizzenhusæ *D. VVilhelmi* leges sequebantur, inopiam atque ærumnas prono subleuauit animo, eisdemque parochialem *Almerodensem*, *VVidekindi* de *Vslar*, illius patroni, consensu accedente, cum omni iure & censu in perpetuum addixit.

23) Re-

*Zieglero dynaſtiã Barr firmat.*

23) Rebus in Saxonia ordinatis ad Comitia Auguſtam Vindelicorum indicta perrexit, ac Aſchaffenburgum delatus, *Nicolao Zieglero*, qui ſummus Maximiliani Secretarius erat, hanc fecit gratiam, vt in emptionem, qua ille non ita pridem dynaſtiam in Alſatia inferiori *Barrenſem* a Cæſare obtinuerat, tabulis die Martis poſt memoriam Apoſtolorum ab ſe diſcedentium ibidem confectis, qua Septemuir, vt leges volebant, conſenſit. Conf. *VVenckerus* in apparatu Archiu. p. 437.

*fabricam adiu Niclauſhuſenſis promouet.*

24) Auguſtæ vero cum eſſet, votis incolarum villæ *Niclaushauſen* ſingulari reſpondit gratia. Cum enim templo loci vetuſtate laboranti reficiendo manus admouiſſent; ſumtibus autem in opus faciendis haud eſſent pares; tabulis, vt in codice noſtro videre eſt, XXVI menſis Iulii die confectis Parochis eccleſiarum, Vicariis, & diuinorum per totam diœceſin Moguntinam Rectoribus mandauit, vt ſuorum quemuis pro ſuggeſtu ſacro ad opem illis ferendam exhortentur: his vero, qui manus Niclaushuſenſibus porrexerint adiutrices, *indultu Apoſtolico* centum, & *auctoritate ordinaria* quadraginta dies *de iniunctis pœnitentiis* remiſit.

*dignitatem Cardinalitiam conſequitur.*

25) Dein ipſis Kal. Auguſti Vaticani Senatus dignitate, ad quam XXIV die menſis Martii Romæ euectus erat, per *Caietanum* magna cæremoniarum dignitate atque magnificentia inauguratus eſt. Quam pompam cum curate deſcripſerit *Iacobus Manlius* in hiſtoria, quam tomo II dedi, *collatæ Cardinalitiæ dignitatis in Albertum*, non eſt, quod pluribus hic verbis rem perſequar. Interim conferri poſſunt *Huttenus* in epiſtol. ad Iulium Pflugium, quam *Burckardus* commentar. de Hutteno parte I p. 128 magnam partem repetiit, *Sleidanus* lib. I de ſtatu religionis p. 5, *Fuggerus* ſpecul. honor. Auſtriac. lib. VI cap. XIX p. 1359.

Ceterum hic pro, *Matthia Cardinale*, lege, *Matthæo*. Hoc enim nomine vocabatur *Langius*, peruetuſta Patritiorum Auguſtanorum familia natus, *S. Angeli* SS. eccleſiæ Romanæ Diaconus Cardinalis, Epiſcopus Gurcenſis, & tum Salisburgenſis Coadiutor; ab obitu vero Leonardi Archiepiſcopus; vir multis clarus nominibus. Conf. *Struuius* præfat. ad *Ioan. Pierii Valeriani* epiſtol. de honoribus Langio Romæ habitis, p. 570 ſeq.

*regalia accipit.*

26) Dein XXVIII menſis Septembris die quanta maxime par fuit cæremonia, dignitatum ſuarum iura, Imperiique beneficia, vt moris eſt, requiſiuit, ac ab Maximiliano fide recepit clientelari, *Hermanno* Colonienſi, *Gabriele* Eichſtadtenſi, *Henrico* Auguſtano, & *Chriſtophoro* Brixienſi Antiſtitibus, *VVilhelmo* Comite Palatino ad Rhenum, Duce Bauariæ, *Caſimiro* Marchione Brandenburgenſi, *VVilhelmo* Comite de Henneberg, *Ioachimo* Comite de Oetingen, *VVilhelmo* Domino de Rapoltſtein, aliisque Nobilium maximo numero præſentibus.

*Verum Auguſta Lutherō locus' ſit?*

27) *Latomus* in catalogo ſubdit: *Eodem MDXVIII in Comitiis Auguſtanis cauſſa Lutheri examinari cœpta eſt ab Epiſcopis & Theologis ad hoc deputatis: vbi Albertus plurimum annixus eſt ſedare furentem hominem. Verum Luthero doloſe elabente, res in irritum ceſſit.* Atenim neſcio, an erret. Albertum enim Luthero tum collocutum, nemo, quod ſciam, dixit.

*Saxoni in exſtinguendo bello Halberſtadenſi operã iungit*

28) Maximiliano Cæſare anno ſubſequenti MDXIX d. XII Ianuar. Velſii in Auſtria ſatis functo, ipſe omnes in reipublicæ ſalutem curas conuertit. Diſſidebant tum inter ſe bello Hildeshemenſis Epiſcopus & Duces Brunſuicenſes. Cui componendo cum ſtudium impenderet *Fridericus*, Saxoniæ Dux & Elector, Imperator tum vicarius, Albertus eidem Seueſtæ operam iunxit; vt vel ipſe *Lutherus* innuit in apologia contra Henricum Brunſuicenſem tom. VII Altenburg. f. 461.

*Moguntiam rediens honorificentiſſime excipitur.*

29) E Saxonia Moguntiam reuertit Iouis poſt dominicam, ab introitu *Inuocauit* vſu eccleſiaſtico dictam, & a Clero tam maiori quam minori extra portam piſcariam clariſſimis obſeruantiæ argumentis exceptus, in ædem principem, inter ciuium decore armatorum ſtationem, ex vtraque viæ, qua procedendum erat, parte diſpoſitam, deductus fuit; in qua poſt finitam de *S. Martino* antiphonam, *Bartholomæus Zehender*, Eccleſiaſtes metropolitanus, breuem habuit orationem, qua ei tum de dignitate Cardinalitia, tum felici aduentu gratulabatur. Qua finita, carmineque ſollemni, quod nonniſi lætis rebus gratulabundi modulamur, concinne dulciterque decantato, purpurati indutus amictu in equum adſcendit, ac ad arcem D. Martini conceſſit; ante quam in area Cleri lautia oblata prono cepit animo.

*Electores conuocat.*

30) Simul ac vero reuerterat, de conuocandis priuatim Electoribus Rhenanis, antequam publica haberentur Comitia, circummiſſis nuntiis deliberationem inſtituit. Placebat omnibus ad dominicam *Lætare* conuenire intra ditionis Treuericæ metas, in oppidum Veſaliam. Cum conueniſſent, ad mutuam ſeſe, vsque tum noui Cæſaris peracta eſſet coronatio, colligarunt defenſionem, vulgo *die beſondere Rheiniſche Verein* dictam. Vid. *Goldaſtus* Politiſcher Reichshändel part. I p. 23 & part. VIII p. 216, *Zieglerus* corp. ſanction. pragmaticar. p. 1016. Iſtam vero ad rem quantum vigilantia ſua, conſiliisque momenti Albertus attulerit, quiuis facile colligat.

*quid Veſaliæ actum,*

*& Pontificis reſponſum.*

31) Pari pro libertate Germaniæ ſtudio reſponſum Pontifici, qui tum per Legatum, *S. Sixti* Cardinalem, Septemuiros monebat, id penſi habeant, vt Principem eligant optimum: in Regem vero Neapolitanum (Carolum intelligebat Auſtriacum, vaſti Hiſpaniarum regni heredem) ſuffragiis ſuis ne eant. Reges enim Neapolitanos Sedis Romanæ eſſe beneficiarios, & fide data iam olim ſic pactum, ne Romanum Imperium appetant, ſed vt alterutro ſint contenti. Carolum itaque legibus teneri, quo minus ad Imperii gubernacula accedere poſſit. Aperte tandem, plane, ſignanter, ſine vllis verborum inuolueris ac ambagibus, ſeparatim etiam & per ſe quisque, de his reſpondeant. Nomine enim illo-

rum *Theodericus Zobel*, ad ædem Moguntinensem maiorem rei præfectus scholasticæ, reposuit: Electores Vesaliæ congregatos non Cæsaris eligendi gratia, sed aliis plane de caussis: sigillatim comprimendorum in Imperio motuum ergo. Igitur nec loci nec temporis esse, de re ista agere. Cum ad electionis ventum fuerit consilia, tum in Cæsarem se cooptaturos, qui sacræ Sedi gloriæ & honori sit, reipublicæ christianæ incremento, S. R. I hostibus formidini. Interim mirari Principes Electores, Leonem ipsis, quod æuo hoc inauditum plane, leges, quibus se in nouo Cæsare surrogando tenerent, præscribere velle. Conf. *Goldastus* l. d. ex eoque *Bœclerus* de rebus sæc. XVI parte II p. m. 303. Edit. 1 pag.

Dein ad constitutum tempus Francofurtum iuit, eo animo, vt Imperio Rectorem suo suffragio daret, rei communi quam maxime profuturum.

IV Anno autem MDXIX magno id opere sategit idem Albertus, vt, cum, functo vita Imperatore Maximiliano I, in Franciscum Gallorum Regem Principum nonnullorum inclinarent animi, eos ad Austriacam domum reuocaret; suaque tandem sapientia, industria, & eloquentia perfecit, vt ex ista fuerit ab Electoribus, qui aderant, omnibus, & Bohemico Legato, electus Francofurti Carolus V; extantque apud nonnullos disertissimæ ipsius eam in rem orationes. Anno autem MDXXXI Coloniæ, in Cæsarem similiter, licet abesset, abnueretque per legatos Saxo, eligi curauit Ferdinandum, Imperatoris ipsius fratrem. 884

*v. n. 9 & seq. § 15.*

*fortiter pro Carolo V loquitur.*

1) Albertus sane, dum de Cæsare eligendo deliberatio habebatur, primus omnium de summa rerum loqui cœpit; cumque multis primum exposuisset, nec legibus conuenire, nec ex vsu esse, vt exterus quis admoueatur Imperio: dein vero prouide monuisset, potentis cuiusdam nec a viribus imparati Principis ope, tutelaque Imperio opus esse, fortiter pro Carolo Austriaco dixit. Vtrum vero orationem istam, de qua auctor, αὐταῖς λέξεσιν ac ad verbum habuerit, forsan non sine caussa dubites. Conf. *Ludewigium* ad A. B. tit. II § II p. 384. Si *Schookio* exercit. I ad Monzamban. p. 9 fides, *Philippus Melanchthon* eam ingenii exercendi gratia composuit. Conf. quem cum *Schookio* haud obscure facere videas, *Thomasium* scholior. in Monzamban. cap. IV § V lit. u) p. 322, & cap. V § I lit. a) p. 348. E *Sabini* dein, vel potius *Melanchthonis* historia electionis Caroli V alii, eosque inter *Sleidanus* lib. I de statu religionis p. m. 19 repetiere.

*Eundem elegit.*

2) Die post Iunii XXVIII ad ipsum electionis actum processit. Is ita peragebatur: Cum celebratum fuisset Missæ officium, in sacrario ædis a D. Bartholomæo appellatæ (in quod se Electores & Legatus Boiemus contulerant) *Hieronymo* Episcopo Brandenburgensi, *Laurentio Truchsess* de *Bommersfelden*, Decano Moguntino, *Henrico Reuss* de *Plauen*, Decano Colonienssi, *Florentio* de *Venningen*, Cancellario Palatino, & *Friderico Thanne*, Præfecto Vinarienssi, tanquam testibus aduocatis, & Tabellionibus publicis, quos Notarios vocant, præsentibus, primo Treuirensem interrogauit, in quem suo iret suffragio? Eo respondente; in Hispaniarum Regem & Archiducem Austriæ *Carolum* se ire; ceteros etiam ordinatim percunctatus est. Qui postquam Treuirensi accessissent, tandem iunctim ex Alberto quæsiuere, quem ipse legeret? Is, cum non secus ac illi *Carolo* Imperii amplitudinem detulisset, voluntate illorum iussuque eundem sine mora in conclaui proclamauit. Hæc ex ipsis electionis peractæ actis siue documentis.

*ad venditionem Duratt Wirtenbergensis suos mittit.*

3) Hæc vero, aliaque dum agebantur, nouum fœderis Sueuici sociis cum *Vlrico* Wirtembergensi bellum intercesserat. Contracta enim familiarum manu ex improuiso *Heinsam* ille, *Leonbergam*, *Stutgardiam*, *Kirchhemium* recuperauerat. Cum vero haud parum sumtus in expeditionem istam ab ipsis factum esset, vt reciperent, quod impensum erat, prouinciam, ex qua denuo illum eiecerant, anno sequenti MDXX, die VI Februarii Augustæ Vindelicorum Carolo & Ferdinando Austriacis sub hasta vendidere. Erat eos inter Albertus: cuius etiam nomine tum aderant *Ioannes Kuchenmeister de Gamberg*, Doctor, & *Iacobus Frölingkind*, Secretarius.

*Seruitia in monasterio D. Wolfgangi priuilegio consulit.*

4) Ipse vero die XI sequenti tabulis publice editis Priori & Conuentui Fratrum Ordinis *Seruorum B. M. V.* secundum regulam & instituta *B. Augustini* viuentium monasterii *S. V Volfgangi*, prope Hanouiam, consulturus, indulsit, vt gratiis, priuilegiis, ac libertatibus, a Sede Romana Ordini concessis, in diœcesi Moguntina frui possint, iubens, vt haud secus recipiantur, admittantur, ac foueantur, quam fratres professi quatuor Ordinum mendicantium.

*Gernsheim recuperat.*

5) Dein mense Maio secuto oppidum *Gernsheim*, quod *Adolfus II Philippo*, Comiti Catimelibocensi pro XL M florenorum oppositerat, redemit; numeratis *Philippo*, Hassiæ Landgrauio, ad quem hereditario peruenerat iure, tum XXX M, & anno sequenti X residuis. Rem eo deduxere *Laurentius Truchsess* de *Bommersfelden*, Decanus, *Sebastianus* de *Rotenhan*, D. & Eques, &, quem modo dixi, *Ioannes Kuchenmeister* de *Gamberg*, omnes Alberti a consiliis.

*coronationi Caroli V interest.*

6) Post, cum tempus instaret, quod Cæsar capiendis Imperii insignibus destinarat, promptissimo studio Aquas graneas profectus, Carolo, die XXI Octobris vrbi appropinquanti, nomine omnium felicem gratulatus aduentum est; postridie vero Colonienssi, sacra illum inungenti cæremonia, magna adstitit dignatione. Perendie dein, qui XXIII Octobr. erat, in publica denuntiauit panegyri, Ponti-

Edit. I p. 884

Pontificem Romanum, approbata electione, iubere, vt *electi Cæſaris* nomen in poſterum *Carolus* vſurpet. *Sleidanus* l. d. lib. II p. m. 46 & 47.

*Moguntiæ eum excipit*

7) Illum poſtea Wormatiam ad Comitia indicta tendentem ampliſſima pompa Veneris ante D. Catharinæ ferias Moguntiæ excepit; die dein dominica a Clero vniuerſo cum crucibus & vexillis ſollemniter ex arce ad D. Martini ædem deductum omnibus, vt moris eſt, officiis proſecutus fuit.

*Wormatiam concedit ad Comitia.*

8) Mox & ipſe Wormatiam perrexit, ac anno ſequenti MDXXI præſenti rerum ſtatui conſilia ſua attemperans, Cæſarem, qui Lutherum non amplius audiendum decreuerat, communi rogauit nomine, permitteret Principibus, qui quidem vellent, vt denuo eum interrogent, atque ad ſaniora conſilia hortentur. Minis *Franciſci Sickingii*, aliorumque e Nobilitate perpulſum, id precibus a Cæſare depopoſciſſe, *Pallauicinus* lib. I hiſtor. Concil. Trident. cap. XXVII § 5 p. m. 43 tradit, additque, Albertum pio magis tum fuiſſe animo, quam forti. *Palatius* vero vol. II faſtor. Cardinal. ſub Leone X n. XXXVIII col. 692 refert, perterrito vires addidiſſe *Carolum V*, dicendo; *Quadringenti iſti ad vindictam parati erunt forſan, vti trecenti Mutii, quorum tamen vnus & ſolus fuit.*

*cur a Luthero fuerit obiurgatus.*

9) Poſt id contigit, vt nouas Halis promulgari curaret papales venias; tum vero Parochum quendam ad vxorem, quam duxerat, dimittendam carceris cogeret pœna. Id vero tam male habebat *Lutherum*, vt litteris ipſum, magna ſermonis libertate ſcriptis, obiurgaret. Quod cum auctor poſt multa alia § XII demum narret, temporis ratione habita huc refero. Albertum ad eas, ſatis quidem minaces, leniſſime reſpondiſſe, res ipſa loquitur, vt § dicto videre eſt. Reſpondit autem tam moderate *VVolfg. Fabricii Capitonis* & conſilio & ſtilo. Vid. *Seckendorfius* l. d. § CVII, p. 175.

*fœderi Sueuico prorogato ſubſcribit.*

10) Vti vero pacis, ſecuritatisque publicæ, ſi quis alius, amans erat ac ſtudioſus, ita anno poſtero MDXXII fœderi Sueuico, in conuentu Vlmenſi ad XI rurſus annos prorogato, alios inter & ipſe nomen dedit. Manifeſtum id fit tabulis ipſis, Lunæ poſt dominicam *Reminiſcere* ibidem confectis, apud *Dattium* lib. II de pace Imperii publica, cap. XXIII p. 405.

*ad comitia proficiſcitur Norimbergenſia.*

11) Inde Norimbergam conceſſit ad Comitia Ordinibus indicta, vt de Turcis reprimendis, liberandisque ex eorum faucibus Hungaria, finitimisque regionibus, quam neceſſitas poſtulabat, inſtitueretur deliberatio. Itineri autem ſe dedit Mercurii poſt dominicam *Oculi* dictam.

*peculiare Conſiliariorum conſtituit Collegium.*

12) Hæc inter cum enixius ſecum, diligentiusque reputaret, quæ maxime res impedimento eſſet, quo minus Archiepiſcopatus Moguntinus, quem tamen vsque huc ſemel atque iterum magnis leuaſſet ſumtibus, ex incommodis haud emergeret, reperit, id omne propemodum ex perturbatiori διχοστασίᾳ, interruptoque plurimum rerum agendarum tenore proficiſci. Opportuniſſimum igitur duxit, peculiare Conſiliariorum collegium inſtituere, quorum quidem ad arbitrium iudiciumque, ſiue abſens ipſe eſſet (quod ſæpius contingebat) ſiue præſens, rerum omnium ſumma rediret. Et quidem hoc magis in neceſſariis id habuit, quo curatius expendebat, Sedem Moguntinam totius Imperii eſſe primariam; Archicancellariatus adhæc per Germaniæ fines adminiſtrandi dignitate auctam (*die vveil vnſer Erzſtift Mentz der oberſt Stuhl, vnd ein Ertzcancellariat des H. R. R. in Germanien*) cetera vero amplam maxime, ac negotiorum tum magnitudine conſtrictam, tum copia. Placuit autem hic modus; Vt ipſe quidem in id cooptaret duos ad ædem maiorem Canonicos, dein aulæ Præfectum, Cancellarium, & Mareſchalcum; tum duos Iurium Doctores, duos item eximiæ auctoritatis Nobiles. His dein eccleſiarum Prælati adiungerent vnum, vnum Nobiles, diœceſi adſcripti; vnum tractus inferioris, vnum item ſuperioris ciuitates. Quibus ita conſtitutis, leges etiam, quibus in rerum adminiſtratione ſe tenerent, eisdem præſcripſit. Qui tum cooptati fuere, hi ſunt; *Theodericus Zobel*, Scholaſticus, & *Balthaſar* de *Groſchlag*, Canonicus maioris, *Frobenius* de *Hutten*, Eques, aulæ Magiſter, D. *Caſpar* de *VVeſthauſen*, Cancellarius, *Caſpar Lerch* de *Dirmſtein*, Mareſchalcus, D. *Ioannes Furderer*, Excancellarius, *Philippus Echter*, Vicedominus Aſchaffenburgenſis, D. *VVolfg. Fabricius Capito*, *Henricus Brumſer*, Vicedominus Rhingauiæ: *Dietericus VVenck*, S. Victoris Decanus, Prælatorum, & *Arnoldus* de *Hohenvveiſel*, Ordinis Equeſtris nomine. Qui a ſecretis eſſent, conſtituti *Andreas Rucker* & *Iacobus Frölingkind*. Quæ omnia litteris conſignata Aſchaffenburgi, Martis D. Martini ferias præcedente.

*rurſus it Norimbergam.*

13) Mox rurſum ſe contulit Norimbergam, quo Principibus, aliisque Proceribus Imperii indictus erat dies. Occaſionem dederat eadem, de quo paullo ante, materies; quam Ordinibus, qui aderant, ſingulari oratione, publico in conſeſſu habita, quam enixiſſime commendauit *Franciſcus Ioſephit* Ord. Minor. *S. Franciſci* de Obſeruantia, Epiſcopus Seguienſ. regni Hungarici Orator.

*cauſa Sickingiana fauiſſe dicitur.*

14) A *Franciſci Sickingii* partibus cum non prorſus alienus fuiſſe videretur, fœderatis Principibus, Treuirenſi, Palatino, & Haſſo, ſui pœnas dedit conſilii. Quod vt hoc explicatius vnicuique ſubeat, *Leodium* audire iuuabit. Is hiſtor. de geſtis vel potius auſis Franc. Sickingii p. 302 & ſeq. *In Moguntiacam deinde Nobilitatem animaduertere Principes ſtatuunt, quæ maximas Franciſco vires in bellum Treuirenſe ſubminiſtrauerat; immo hac ſuadente ſuſceptum plerique adſerunt; nec defuere, qui aperte dicerent, Præſulem tacitum coadiutorem. Certe ſatis mihi perſuadet, non perinde illum ab hac lepra mundum, qui & Magiſtrum ſuum curiæ (vt vocant)* Frouinum *ab* Hutten *& Marſchallum* Caſparem Lerch, *addamus & primarios eccleſiæ*

*Iua Moguntinæ Canonicos Franciſco anteſignanos (vt ita dicam) habuerit, paſſusque ſit, prædam Treuerenſem Moguntiæ publice venundari, & in manubias redigi. Quare Principes ab eo litteris expoſtulant, vt ſinat & adiuuet ſeſe de illis pœnam debitam ſumere, qui publicam Romani Imperii pacem vetito bello violaſſent, quam & ipſe ſeruaturum & defenſurum præſtita fide iuraſſet. Moguntinus fœderatis Principibus reſcripſit. Quibus cum nihil proficeret, Principum congreſſum expoſtulat, & ſe, publica tamen fide, ad eos Francofurdiam venturum pollicetur: ratus ſcilicet, plus coram impetraturum, quam litteris. Qui cum aduenisſet, cauſſam Nobilium ſuorum eodem ferme tenore, quo litteris prius, egit. Illi reſpondent, ſe præoptaſſe, ne ad id incommodi Nobilitas Moguntina deueniſſet: nunc eo adactos eſſe publicæ rei cauſſa, quam deſerere nec vellent nec poſſent, vt de transgreſſoribus legum Imperialium, quas ipſi condidiſſent, debitas pœnas exigant: alioquin & malum impunitum in deterius verteretur, & ipſi periurio obſtricti notari poſſent. Ad quæ Moguntinus:* »Quandoquidem, Conſanguinei, *inquit*, ita vobis perſuaſum eſt, vt nec mei intuitu, nec vllis precibus moueri poſſe videam, rogo, *inquit*, ſaltem aliquid clementiæ meis impertiri velitis, ne ſe omnino conquerantur meis precibus nihil fuiſſe adiutos.» *Cui Principes: licet ita dictantibus legibus, vt primo res redderent Treuiro, belli ſumtus reſarcirent, adhæc ab vnoquoque ſexaginta millia aureorum exigere poſſent: tamen, vt ſui ſentiant, ſe omnia cum decore ſua de cauſſa facturos libenter, ab omnibus ſemel duntaxat ſexaginta florenorum millia expoſtulant. Territus Moguntinus ea ſumma, ad humillimas fere preces deuoluitur, & tandem impetrat, vt ſtatutis terminis Principibus nomine Nobilitatis viginti quinque millia aureorum perſoluerent.* Actum id menſe Octobri an. MDXXII. Conf. *Brouverus* annal. Treuir. lib. XX § CV p. 346, *Seckendorfius* l. d. § CXLVII n. 7 p. 259, § CL n. 3 p. 269.

*ob id a fœderatis multatur.*

15) Anno ceteroquin ſequenti de concordiæ rationibus in religionis negotio ineundis non plane nil egiſſe videtur. Inuenitur enim tomo II Altenburg. f. 343, ſicut & in vetuſtioribus editionibus, anno hoc MDXXIII ſcriptum quoddam, ex quo colligere eſt, tractatum fuiſſe, vt vel Seruestæ, vel Naumburgi, vel alio, qui Alberto placeret, loco ipſe & Epiſcopus Merſeburgenſis, tum vero Lutherus, adhibitis ex vtraque parte quatuor aut quinque viris idoneis, conuenirent: vtque Ioannes & Georgius Saxoniæ Duces, vel duo alii ex Principum aut Comitum ordine adeſſent. *Seckendorfius* l. d. § CXLVIII n. 2 p. 263.

*de concordia in religionis negotio agit.*

VA duobus potiſſimum bellis ei periculum fuit. *Vnum* a tumultuantibus in Ringauia ruſticis, & Moguntinis nonnullis ciuibus nouo Lutheri claſſico ad Martem, & cædes excitatis, cum in Saxonia interim abeſſet. Sed ab eius fratre Canonico, quem Moguntiæ reliquerat Gubernatorem, ſapienter compreſſa hæc omnis ſeditio, præſertim cum *validus*, vt ait MSL. *accitus e Lotharingia equitatus acceſſiſſet.*

*de rebus Moguntinis tempore belli ruſticani.*

1) Incidit bellum iſtud in annum MDXXV. Abſens tum erat, vt auctor notauit, ac in Saxonia agebat Albertus. Quo factum, vt non agreſtes ſolum, ſed oppidani etiam per totum fere Archiepiſcopatum, immo Moguntinenſes ipſi numero haud paruo cum defectoribus hoc animoſius facerent; adeo, vt *Wilhelmus*, Epiſcopus Argentoratenſis, Alberti Locumtenens, coactus fuerit, cum tumultuantium præfectis militaribus iniquiſſimam facere transactionem. Sigillatim Moguntinenſes Mercurii poſt diem Marco Euangeliſtæ feſtam in foro gentili cœtum armati & concurſum fecere, ordinationem quandam, triginta & duobus articulis conſtantem, auſu temerario edidere, ad eamque recipiendam & confirmandam primum princeps ad ædem maiorem Collegium, dein ipſum etiam, quem dixi, Locumtenentem, cum Moguntiam veniſſet, adegere; arcem D. Martini armata manu inuaſere, eamque ſibi dedi præruptis poſtulauere animis. Breuiter *Latomus* in catalogo; *Moguntini ciues & Rhingoiæ vulgus contra Clerum conſpirare, iugum omne excutere, decimas & cenſus denegare, monaſteria diripere cœperunt. Et ni ſollertia Gubernatoris illis mature obuiam itum eſſet, ruinæ & ſubuerſiones eccleſiarum ac ſæuiſſima ſtrages ſecuta fuiſſent.*

Hæc illi. Sed non ſine malo ſuo ac infortunio. Fuſis enim ad lacum Bodamicum, per Algoiam, Sueuiam, alibique agreſtibus & ad officium reductis, fœderis Sueuici Dux & Conſiliarii, litteris Gartachii ad Nicrum ſabbato poſt dominicam *Iubilate* datis, & per *Frovvinum* de *Hutten* ad oppida transmiſſis, tumultuantibus denuntiabant, ni intra triduum ad obſequium redirent, & fœderis ſe permitterent arbitrio, ipſos vltima eſſe paſſuros. Aliis, Wirzburgi ipſa dominica ſanctiſſimæ Triados honori feſta ſignatis, eisdem mandabant, quantocius iuſſa facerent, & *Frovvini* de *Hutten* ſtarent imperio; aliter grauiſſimas violatæ religionis pœnas daturos.

Quibus perterriti, animisque infracti, ſe in auctoritate fœderatorum futuros eſſe pollicити ſunt. Speciatim Moguntinenſes, ſabbato poſt beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli memoriam, peculiaribus ſpopondere tabulis, ſe Principi ſuo, eiusque Locumtenenti obſequenter in poſterum parituros eſſe; quotquot defeciſſent, arma ſua, cuiuscunque etiam generis ſint, magiſtratui tradituros, nec vlla deinceps coemturos, vel geſtaturos; in ſodalitates ſine venia ſe nunquam coituros; pœnas Principi debitas depenſuros; cenſus, decimas, vectigalia, aliaque quotannis rite exſoluturos; quos rerum nouarum comperirent

ſtudioſos,

Edit. I p. 884

ſtudioſos, magiſtratui ſine mora denuntiaturos. *Paucis*, ita pergit *Latomus* l. d. *ex his anteſignani gladio cæſi, aliqui proſcripti, reliqui pecunia multati ſunt.* His addendum, Moguntinenſibus, quum anno ſequenti dominica *Exaudi* Aſchaffenburgi ſupplices culpam deprecarentur, delicti quidem veniam datam; pœnam vero haud remiſſam fuiſſe, condonatamque.

Quod ad ceteros in ſuperiori tractu, ſigillatim illos, qui Aſchaffenburgi defluxerant, conferri merentur *Crinitus* de bello ruſticano cap. LXXXIII p. m. 272, *Gnodalius* ruſticanorum tumultuum lib. V p. 169.

Hæc fuſius aliquanto, ex quibus auctorem emendes.

*quæ occaſione a Luthero ad coniugium ineundum inuitatus fuerit.*

2) Seruili hoc agreſtium bello Albertus præ ſe ferebat, ac ſi animum ad immutandas vitæ, ſtatusque rationes appuliſſet. Prodit hoc aliquatenus ipſe, dum tegere aut excuſare vult, *Cochlæus* in an. MDXXVI f. 132, vbi non tacet, Principes, Comites, & Barones (Magdeburgici Archiepiſcopatus clientes) rem vxoriam Alberto ſuggeſſiſſe. Inde Luthero per *Ruhelium*, Alberti in Archiepiſcopatu Magdeburgico Conſiliarium, anſa data, litteras iſtas, quas auctor § XIV ſequenti ſub ſtili acumen vocat, ſcribendi. De quibus, quæ huc non inutiliter conferas, affert *Seckendorfius* l. d. lib. II § VI p. 20 & ſeq.

*quam varia de cauſſa bellum ruſticani ſententia.*

3) Sedenim proſtratis magna ex parte rebellibus, in diuerſum tendebant ſententiæ. Qui Pontificis partibus tenacius addicti erant, cauſſam mali Luthero & doctrinæ eius palam imputabant. præcipui inter hos Albertus, Ioachimus frater, Georgius, Saxoniæ Dux, Henricus Brunſuicenſis. Ex aduerſo Elector Saxo & Landgrauius culpam tumultus in illos reiiciebant, qui populo libertatem conſcientiæ denegaſſent, cultusque publici. Erant, qui mediam quaſi viam ingreſſi pacem quærere videbantur, Ludouicus, puta, Elector Palatinus, Caſimirus Marchio Brandenburgicus, & alii. Varii inde conuentus anno ſequenti MDXXVI inter Principes habiti. Albertus quidem, Ioachimus, Elector Brandenburgenſis, Henricus & Ericus Brunſuicenſes conuenere Deſſauiæ: alii alibi. *Seckendorfius* l. d. § XVI addit. I a) p. 42.

*concedit ad comitia Spirenſia,*

4) Secuta Comitia, hoc fine Spiram indicta, vt de religionis ageretur negotio, paceque publica per Imperium ſeruanda. quibus rebus vt & ipſe ſuam præſtaret fidem, ad præſtitutum diem eo iuit Albertus. Non tacuit id *Sleidanus*, dum lib. VI de ſtatu religionis p. 139 ait: *Erant in hoc comitio Spiræ Principes Electores omnes, præter Brandenburgicum.*

*Eslingam item ad Regimentum,*

5) Poſt, cum clades Regis Hungariæ percrebuiſſet, ipſe vna cum ceteris ad *Regimentum* ſiue Senatum Imperii delegatis (*Deputatos* tum vocabant) Eslingæ coiuit, ſtatuitque, vt quæ in proximo Spirenſi conuentu de ſuppetiis celeribus (*eilender hulffe*) decreta fuerant, ſtatim expedirentur, contractis etiam ad tres menſes corrogationibus, quæ ad ſex conſtitutæ erant. *Seckendorfius* l. d. n. 9 p. 46.

*inde in Archiepiſcopatum Moguntinum.*

6) Ceterum hoc temporum tractu plerumque egit in Archiepiſcopatu Moguntinenſi. Vti ſane anno ſequenti MDXXVII Aſchaffenburgi *Georgium VVincklerum*, Hallenſium Eccleſiaſten, qui parochianis ſuis ſacram cœnam ſub vtraque, vt loquuntur, ſpecie diſtribuere auſus erat, audiuit. *Seckendorfius* l. d. § XXXI 3) p. 83.

*Merckelio Abbatiam Salfeldenſem firmat.*

7) Poſtero quoque, qui MDXXVIII fuit, *Balthaſari Merckelio* Abbatiam Salfeldenſem, quam ei Cæſar anno ſuperiori litteris Valliſoleti d. VII Maii ſignatis contulerat, tabulis Moguntiæ, die Martis poſt dominicam *Exaudi* datis, qua loci Ordinarius, firmauit, & hoc pronius ſtabiliuit, quo maiori tum temporis Balthaſar dignatione erat ac auctoritate, in aula præſertim Cæſarea *. Conf. *Struuii* miſcella hiſtor. Salfeldenſ. part. II *des neuen eröfneten Hiſtoriſch- vnd Politiſchen Archivs* p. 99 & ſeq.

* In litteris Alberti vocatur *Rœmiſcher Kaiſerlicher Maieſt. General-Commiſſarius, Orator, Rath, Vice-Canzler, Coadiutor zu Coſtantz, vnd Poſtulirter zu Hildesheim.* Conf. *Reutelius* chron. Hildeshemenſ. § XLVIII p. 110, *Mallinkrot* de Cancellar. & Vice-Cancellar. Imperialib. p. 438, ibique *Wenckerus* in adnotat. p. 439.

VI Bellum inſtitit *alterum* ab Philippo Haſſiæ Landgrauio. Fuerat enim optimo Catholico Saxoniæ Duci Georgio a conſiliis Doctor iuris quidam *Otho Pack;* qui cum nouis Lutheri machinationibus ſtuderet, falſas finxerat litteras, iisque Haſſo Principi, & Ioanni Saxoniæ Duci, Lutheri patrono, perſuaſerat, eſſe contra ipſos ab Epiſcopis illis, & Ferdinando, Bauaroque coniuratum: ideoque arma in eos ſubito capienda. Et falſa quidem erant omnia. Ne innoxius tamen ſubditorum funderetur ſanguis, miſeraque oppidorum & agrorum depopulatio fieret, redimendam vexationem, centum aureorum depenſis millibus, cenſuerunt Epiſcopi. Fraus tamen poſtea tota patuit, ſceleratusque ille nebulo quatuor in partes Antuerpiæ diſſectus fuit *.

*de motu Pacciano.*

1) Inſtitit bellum hoc anno, quem iam ſignauimus, MDXXVIII. *Paccius* autem, qui id conflauit, ſiue *de Pack*, nobili in Miſnia gente erat natus, Doctoris Legum ornatus titulo (vnde vulgo *Doctor Otho* vocabatur) & inter Ducis Georgii Conſiliarios haud vltimi nominis. Vicem ſane Cancellarii aliquando præſtitit; vnde ſe ipſum alicubi nominat *Cantzley-Verweſer*; homo verſutus ac profuſis ſumtibus: quo vitio ad alia inductus eſt. Falſi Caſſellis conuictus, & a Landgrauio dimiſſus, cum aliquot annis apud exteros oberraſſet, anno tandem MDXXXVI, cum Viluordiæ die menſis Septembr. XVI in tormentis eſſet, frau-

fratrem confessus *, capitis dein pœnam luit. Conf. *Seckendorfius* l. d. § XXXV n. 4 p. 94 & n. 12 p. 97. Quod nouis ille Lutheri machinationibus studuerit, auctori relinquendum.

* *Impositus equuleo, fassus est, Creutzbergæ in itinere formulæ illius se primas duxisse lineas; Dresdæ vero summam ei adiecisse manum. Describendam dein dedisse Caspari Warissin; descriptæ vero sigillum Ducis Georgii, aliis detractum tabulis, affixisse. A Landgravio se non missum fuisse ad Waiwodam Hungariæ, vt hoc ei fœdus indicaret. Luthero etiam se haud persuasisse, ac si id fœdus reapse percussum sit. Nec enim prius ei se locutum, quam cum Cassellis e vinclis fuisset dimissus, cum tamen Lutherus ante iam istam ad Lincum epistolam scripserit. Equuleo solutus, cum interrogaretur, an etiamnum, quæ in tormentis fassus esset, fateretur? se fateri ea, respondit, ac morte obsignaturum sua; vti hæc & alia in protocollo* de edita rei in tormentis confessione, *quod in codice nostro dedi, curatius legi possunt.*

*In quo bellum ab Hass-*

Ceterum Albertus, vt damnum ab exercitu Hassi finibus suis imminens auerteret, Landgrauio in belli sumtum XL aureorum dependit millia. *Sleidanus* l. d. lib. VI p. m. 152, *Adlzreitterus* annal. Boicor. parte II lib. X § XXXIII p. m. 243, *Seckendorfius* l. d. In apologia vero, quam tum edidit, ita de religione locutus est: *Nunquam aliud intendimus, quam vt gloria Dei & amor proximi promoueatur, minime vero, vt verbum Domini opprimatur: eo potius omni studio & opera annitimur, vt illud plantetur, & incrementa habeat: ordinationem etiam & reformationem christianam non impediemus, sed si de ea agendum erit, ipso facto ostendemus, optime nos animatos esse.* Vid. *Hortlederus* volum. I de bello Germanico lib. II p. 782.

*se redimit.*

Qui plura de hoc bello velit, adeat *Sleidanum* l. d. *Fabricium* lib. VII orig. Saxon. p. 870, *Hortlederum* l. d. cap. I ad X; cum maxime vero *Seckendorfium*, quippe qui de eo ex actis tum editis, tum ἀνεκδότοις l. d. curate egit. Auctor interim, licet admodum turbatis temporum rationibus, ita pergit;

VII Quamuis vero in lubrico vitæ huius curriculo notetur ab aliquibus næui nescio quid, quæ merito tamen illud obruant, fuerunt in eo insigni laude complura dignissima, quæ in historiæ S. Maximi fine persequitur hisce verbis *Trithemius: Dominus Albertus ex Marchionibus Brandeburgi, Princeps nobilissimus, Moguntinæ ac Magdeburgensis in Saxonia ecclesiarum insignium Archiepiscopus, atque Primas Germanorum reuerendissimus, Christo deuotissimus Archipræsul, cum cultor, & amator, & venerator Sanctorum Dei maximus esset, reliquias, & sacra busta eorum summa cum veneratione semper, vbi licuit, inquisiuit, de puluere cum honore leuans, auro, & argento vestiuit: honorem quoque debitum singulis exhibuit, & eorum memoriam festiue celebrauit. Mox enim vt summmi pontificatus duplicem apud Germanos, Domino prouidente, apicem suscepit, totum se Christianæ religioni mancipauit, actus Episcopales, præter multorum consuetudinem Præsulum, in persona frequenter propria deuotissime ministrauit, ordines contulit, Missas ad altare solenniter sæpius decantauit, consecrauit ecclesias, benedixit Abbates, habitum publice deferebat pontificalem locis atque temporibus suis, & nihil omisit eorum, quæ ad Christiani Antistitis sacri sacrum videbantur pertinere officium. Summa eius delectatio semper in obsequio diuino, in celebrandis ad altare mysteriis sacrosanctis, in ornandis quoque, & venerandis magnifice reliquiis Sanctorum. Vnde cum anno Moguntini Archiepiscopatus sui primo, Magdeburgensis autem secundo, pro Dei amore, & reuerentia Sanctorum apud Moguntiam circumeundo sacras more suo visitaret ecclesias, basilicam D. Martyris Albani deuotus intrauit, & videns decem præscriptorum Pontificum sancta corpora sine honore neglecta, auctoritate non minus Apostolica, quam Ordinaria vsus, corpus D. Rabani, quondam Archiepiscopi, totum, & S. Maximi Episcopi medium, permissione Canonicorum inde abstulit, & in Saxoniam transferens, apud Hallas opidum in basilica castri S. Mauricii sollemni processionis officio collocauit, anno Dominicæ incarnationis MDXV, indictione Romanorum tertia: a transitu vero ipsius beati Maximi, anno MCXXXVII.* Atque hæc scripsit citatus auctor, anno Alberti ætatis XXVI, Dominicæ incarnationis MDXVI, vt e S. Maximi præfatione MS. planum est.

Edit. I pag. 885

VIII Hanc tamen egregiam erga diuinum cultum voluntatem deinceps in omni vita retinuit semper, & magis magisque demonstrauit idem Antistes, prout tot, & tanta eius in ecclesias plurimas, sed metropolitanam potissimum, extant dona magnificentissima. Quicquid enim hodie pretiosarum ad sacri altaris mysterium, ad sacrarum reliquiarum thecas, ad Sacerdotum, & Archiepiscoporum amictum, vestium, gemmarum, & artificiorum est (est autem plurimum) id fere totum Albertinum est. Et in istiusmodi operum quibusdam videre est phrygionica elaboratum textura insigne illud, quod crebris e Psalmo XXV vsurpare

*v.* 8

Edit. 1 pag. pare ſolebat ſermonibus, vel ſymbolum, vel apophthegma: *Domine dilexi decorem domus tuæ.* v. 8

IX Cum vero ad noua Lutheri dogmata Saxones velut agmine facto ruere, veterem tantis Caroli Magni laboribus conſtitutam religionem turpiter indies abiicere, ſurſumque ac deorſum miſcere omnia videret, operæ cogitauit pretium, vt, quam plurimas poſſet ſacras reliquias e ſacrilegis rapaciſſimarum harpyarum manibus eriperet, ac e Magdeburgenſi eccleſia in Moguntinam transferret. Vnde & in hac feſtum ſacrarum reliquiarum diem inſtituit, qui poſt S. Bartholomæi feſtum in choro etiamnum agitur. v. n. 27 § 15

X Vt vero Dominicæ paſſionis memoria Moguntinorum animis infigeretur altius, iidemque ad Chriſti Ieſu Domini, ac Saluatoris noſtri acerbiſſimos cruciatus, & ſacroſanctum redemptionis noſtræ lytron pia meditatione, feriaque precatione tractandum magis excitarentur, eoque modo ſacrum quadrageſimæ ieiunium pie clauderent, & ad paſchalem ſeſe religioſius confeſſionem, atque communionem præpararent, conſtituit, vt quotannis a feria V ante Dominicam paſſionis vſque ad maioris hebdomadis feriam IV e ſumma æde ſignum ad vnam fere horam, grauiſſimo campanæ omnium maximæ ſonitu, ſub ſolis occaſum, daretur. Quo tempore magnus hodie ad Societatis Ieſu templum concurſus, frequensque admodum comprecatus eſſe conſueuit. v. n. 22 § 15

XI Sed inprimis maximam apud exteros, poſterosque omnes laudem ſemper feret eximia Principis huius in auita, & ſacroſancta Catholica fide conſtantia, eo tempore, cum, ad nouæ fiſtulæ modulos, leuiter ac fœde ſaltitarent tam multi, tamque magni, & propinqui: cum ſeditionum, bellorum, & atrociſſimarum coniurationum tempeſtates inſurgerent vndique, cum ditionum amplitudo, inſitæ mortalium corporibus illecebræ, florentis ætatis ardor, maximarum opum inſtrumenta, potentiæ longe lateque dominantis magnitudo, Lutheranarum Sirenum blanditiæ plurimæ, ipſiusque adeo Lutheri epicureæ voces, ac litteræ, ipſius identidem ad nouæ ſectæ licentiam animum titillarent, ac prolectarent. Dum ore, vt aiunt, pleno quendam, cuius æterna eſſet gloria, laudare vellet Eccleſiaſticus cap. XXXI verſ. 10. *Potuit*, ait, *transgredi, &*
886 *non eſt transgreſſus: & facere mala, & non fecit.* Cogitabat enim, prout bono, grauique iudicio Princeps erat Albertus, nihil noui eſſe, in eccleſia oriri hæreſes: harum architectos ſemper operam dare ſolitos, vt inani ſacrarum litterarum iactatione, vitiorum, quæ in eccleſiaſticis quibusdam ſunt, exaggeratione, legum veterum contemptu, corporearum voluptatum indulgentia, popularique blandiloquentia in ſimplicium, minusque attentorum animos influant. Cogitabat, ſacerdotibus Domini apud Chriſtianos, vetita iam pridem eſſe ſacris, politicisque legibus connubia: innatas cupiditates, & incendia debere ſe, ac, Dei cum gratia, ſi quidem vellet, poſſe, bonis, vſitatisque modis aliis domare, ac reſtinguere: opes non vitiorum, ac licentiæ, ſed virtutum, & beneficentiæ inſtrumenta eſſe, præſertim eccleſiaſticas, quarum œconomus & ad breue aliquod tempus, diſpenſator ipſe conſtitutus eſſet, accuratiſſimam a ſummo Domino rationem, non ita multo poſt, exigendus. Hæc & alia cum prudenter cogitaret Princeps, ab omni religionis nouitate abhorrebat, Iouinianum nouum deteſtabatur, ad antiquæ fidei petram firmiſſime adhæreſcebat.

XII Extant aliquot ad noſtrum hunc Albertum Lutheri epiſtolæ, quarum in nono cremandorum eius operum tomo Germanico, Wittenbergenſis apud Ioannem Lufft editionis, legi quatuor. *Prima* eſt fol. 8, de qua ſupra. *Altera* fol. 129, anno MDXXI, in qua duo agit apoſtata. Primo iracundiſſime, ac ſuperbiſſime ſuis nullas litteris litteras reddi, ſuisque ab Archiepiſcopo conſiliis non obediri ſtomachatur. *Mir* (ait) *nicht des Schimpffs. Man muſs anders davon ſingen, vnd hören. Der Luther vvirdt ein Spiel mit dem Cardinal von Maintz anfahen, deſs ſich nicht viel verſehen.* Id eſt: *Mihi* Luthero *eiuſmodi iocus non fiat. Aliter hac de re canendum, & audiendum. Lutherus inceptabit cum Moguntino Cardinale ludum, de quo non ſuſpicantur multi.* Deinde obiurgat, quod ſcortatores e Clero Archiepiſcopus puniat, neque ad ſacrilegas procurrere nuptias patiatur. Id ægerrime fert Lutherus, eorumque cauſſam agit impudentiſſime, minas adiiciens, ſe poſt dies XIV librum ſatis vehe-

mentem editurum. Quid vero hic Reuerendiſſimus, & Illuſtriſſimus? Contempſit hominis inſaniam: & non Lutheri, ſed ſuæ ipſius habita ratione perſonæ, grauiter, modeſteque reſpondit. Exemplum, quod a poſteritate legatur v. n. 2 §5 digniſſimum, e Germanico eſt hoc. *Dilecte D. Doctor.* (ſtilo ſcilicet Germanico ita loquitur, prout etiam cum hæreticis quandoque fieri poſſe docet *S. Auguſtinus* epiſt. CXLVII) *Litteras tuas, quæ Dominico poſt S. Catharinæ feſtum die datæ ſunt, accepi, & perlegi, gratioſe, bonamque in partem interpretans. Confido penitus, cauſſam pridem, quæ ad eiuſmodi ſcriptionem* (libri ſcilicet nominati) *te commouit, ſublatam. Et, Deo bene iuuante, ita me gerere, palamque præ me ferre volo, quemadmodum bonum eccleſiaſticum, & Chriſtianum Principem decet; quamdiu ſuam mihi Deus gratiam, vires, & rationem conceſſerit. Quam ad rem & Deum rogo ipſe, & ab aliis eum rogari curare volo. Nam a me ipſo poſſum nihil: libenterque confiteor, Dei gratia egere me, vtpote qui miſer peccator homo ſum, qui errare, & peccare poteſt, quotidieque peccat, & errat. Non hoc infitior. Probe equidem noui, abſque Dei gratia in me boni eſſe nihil: & inſtar cuiuſcumque vſquam alterius, ſi non magis, eſſe me* 887 *inutile, olidumque lutum. Hoc ad tuas litteras volui bono animo te non celatum. Nam ad bene de te merendum ſum, Chriſti gratia, parato paratior. Miſericordem, bonum Deum, hiſce in rebus vlterius, gratiam, robur & patientiam, vt ſecundum ſuam voluntatem in omnibus viuamus, largiturum ſpero. Datum Hallæ ipſo Thomæ Apoſtoli MDXXI. Albertus manu propria.* Sane tam admirandæ fuerunt hæ litteræ demiſſionis, vt Lutherus ipſe in ſubiuncta ad *Wolffgangum Capitonem* epiſtola ibidem fol. 131 dixerit, *ſi ex animo ille ſcripſiſſet* (ſuſpicioſorum & improborum, ſuoque ceteros omnes pede metientium eſt, nihil cuiquam bono credere) *ſe*, qui Pontificis Maximi, ad Chriſti Domini honorem, pedes oſculari, ſcelus, & idololatriam clamet, *velle hilariter, ac humiliter ad illius pedes accidere, ſeque indignum* (vt reuera indignus erat) *exiſtimare, qui pedum illius puluerem oſcularetur.*

Edit. I pag.

XIII Sed *tertia* eiusdem Lutheri Epiſtola eſt fol. 224 anno MDXXV, in qua vult Islebienſem quendam Barabbam, qui, vt ait S. Marcus cap. XV, *cum ſeditioſis erat vinctus*, dimitti: & ni fiat, turbas & tumultus, quia furere cœperant ruſtici, minatur: quodque, niſi vertiginoſi eius capitis inconſtantia nota eſſet, mirum videretur, vocat ibi *S. Iacobi* epiſtolam, quam ſceleratiſſime alibi * *ſtramineam* vocare auſus eſt.

* *Præfat. in eam epiſt. edit. prim. & anno MDXXVII Norimberg per Ioan. Gutknecht.*

XIV *Quarta* eodem anno fol. 226. Cum enim immanes illæ ruſticorum copiæ furialibus ipſius Lutheri vocibus primo, deinde Müntzeri, aliorumque id genus Gracchorum concionibus in Dominos, Principesque ſuos, eccleſiaſticos præſertim, eccleſiaſticasque opes incitatæ fuiſſent, ipſaque Germaniæ viſcera cædibus, rapinis, & incendiis crudeliſſime vaſtarent, magnæ ſcilicet Luthero curæ fuit, quemadmodum —— *motos poſſet componere fluctus.* Varia igitur ſecum verſat, & mirabile ipſi ad ſedandas tempeſtates omnes conſilium, cæloque ipſo delapſus modus occurrit, vt ad Archiepiſcopum hunc ſcriberet, modumque illum ei explicaret. Sic enim orditur. *Aeneid. 1*

Vnter andern Sorgen vnd Fürnemen, ſo mich auch bekümmert, dieſe leidige vnd grewliche Empörung zu ſtillen, welche durch den Satan, als ein Straffe Gottes erregt wirdt, iſt mir eyngefallen, E. Kurf. G. zu ermahnen, vnd anzuruffen.

*Inter alias curas & cogitationes, quæ me ſollicitant ad fœdam hanc & abominabilem ſeditionem ſedandam, quæ per Satanam, tanquam pœna excitatur, incidit mihi, veſtram Reuerendiſſimam Celſitudinem monere & appellare.*

Ad modum deinde ſtatim aggreditur.

Vnd iſt kürtzlich diſs die Meynung, daſs ſich E. Kurf. G. in den Ehelichenſtandt begeben, vnd das Biſthumb zum weltlichen Fürſtenthumb macheten.

*Et breuiter hæc eſt ſententia, vt Celſitudo veſtra matrimonium ineat, & Epiſcopatum in ſæcularem conuertat Principatum.*

O ſapientiam! O magnum ad Aeolos omnes tranquillandos Neptunum! Ecce, quam præclara conſilia, quam faciles, iucundosque maximis, grauiſſimisque

Edit. 1 pag. 888

misque impendentium malorum procellis pacandis modos duos dat! *Vnus* eſt, vt coniugium ineat Princeps, opibus, corporisque viribus pollens, annos natus XXXV. Quid aptius? Quæ Siren ſuauior? Tumultuantes ruſtici omnes abiectis armis ad nuptias videlicet accurriſſent: & ruſticanum bellum in ruſticanum tripudium, meraſque choreas verſum fuiſſet. *Alter*, vt datas a maioribus eccleſiæ Dei opes ſibi, ſuisque vendicet, eccleſiaſticum Principatum faciat ſæcularem, ſeque ipſum ex Archiepiſcopo Ducem. Quid carnis auribus, humanæque cupiditati accommodatius? Quam plena, mollis, & amœna hæc via? Hic ſane apparet Archiepiſcopi noſtri virtus, qui hos Epicuri noui hortos ingredi, ad Sirenios iſtos cantus aures patefacere nunquam voluit. Quanquam profecto facit iis, qui vero, ſanctoque matrimonio iuncti ſunt, iniuriam Lutherus, dum ſceleratam, impuramque hominis, cuius Deo ſolenni aut promiſſo, aut voto conſecrata caſtitas, cum carne alia coniunctionem,

*Coniugium vocat, atque hoc prætexit nomine culpam,* Aeneid. 4.

& quidem, etiamſi Germanicam vocem ipſam ſpectemus. Quid enim quæſo eſt, *der Eheſtand*, aut, vt ipſe loquitur, *der Ehelicheſtand?* Maiores noſtri *legem* lingua ſua vocare ſoliti ſunt *ein Ehe*, vti libello de legibus num. 2 e Germanicis Luthero ipſo vetuſtioribus Bibliis ante annos plures indicaui. Nam, verbi cauſſa, in eo ad Romanos cap. III, quod nouatoribus pro ſola fide tam gratum, quodque *ſolius* additione a Luthero ipſo tam nequiter deprauatum, ita veteres illæ verſiones loquuntur: *Alles Fleiſch vvürdt nicht gerechtfertiget vor im auſs den Wercken der Ehe. Wenn die Erkantnuſs der Sündt iſt durch die Ehe. Aber nu iſt eröffent die Gerechtigkeit Gottes ohn die Ehe. Bezeugt von der Ehe vnd von den Weiſſagen.* Et paullo inferius: *Wann vvir mainen, daſs der Menſch gerecht möcht vverden durch den Glauben, ohn die Werck der Ehe.* Noſtro etiam hoc ſæculo in Zwinglianorum Bibliorum præfatione a Tigurinis in editione anni MDXXXVIII, authentici, canonici, ac legitimi ſacrarum litterarum libri vocantur *die Eheliche Bücher.* Ideoque ſi germane ac proprie loquamur, ſtatus is vocatur *der Eheſtandt*, qui *legitimus* eſt, qui *legibus ſanctus*, *approbatus*, & *confirmatus* eſt. Qui ergo ſuum Deo Opt. Max. corpus deuouit, & illud homini poſtea dare vult, in alienamque poteſtatem transferre, poteſtne dici ſeſe *in den Ehelichenſtandt begeben?* Nonne huiuſmodi ſtatus ſacris canonibus, legibusque ciuilibus improbatus, irritatus, & damnatus eſt? *Alter* vero modus a ſcelere, ſacrilegioque pari haud immunis. Quo enim iure, quæ Deo dicata ſunt, in profanum vſum auertere, ac depeculari fas? Omnino hic Euangeliſta nouus eſt, qui ad Nabuchodonoſorem, Balſaſarem *, Heliodorum, Menelaum †, & Iudam imitandum * adhortatur. Sed rationes forte ſui huius tam egregii conſilii magnas, & graues habet Lutherus. Audiamus.

*Danielis* 5 *v.* 2 *&* 3. † 2 *Maccab.* 3 *&* 4 *v.* 32. * *Ioan.* 12 *v.* 6.

*Vnd ſind diſs meine Vrſachen. Erſtlich, daſs damit der Straffe Gottes zuvorkommen, vnd dem Satan die Vrſachen der Empörung genommen vvürden.*

Et ſunt hæ meæ rationes. Primo, quod hac ratione ira DEI auerteretur: & ſatanæ cauſſæ ſeditionis eriperentur.

At iſto modo peccatum magis fuſſet, grauiorque Dei offenſio, & ira excitata, quia contra ius, fasque omne, vt ſupra dictum.

889 *Zum andern, daſs auch nun der gemeine Mann ſo vveit bericht, vnd in Verſtandt kommen iſt, vvie der Geiſtlicheſtandt nichts ſey.*

Secundo, quod vulgo iam ita inſtituti ſunt homines, vt intelligant eccleſiaſticum ſtatum nihil eſſe.

Agreſtes quidem turbas plurimas, vrbanas, prouincialesque ſeditiones funeſtiſſimas turbulenta hæc excitauit oratio: ſed eius falſitatem arguit poſt pæne LXXX etiamnum annos hodierna experientia, imo & Lutherano dogmate melior Germanorum etiam Lutheranorum natura, qui eccleſiaſticis Catholicis bonis & grauibus, fidei honorisque ſæpe plus quam ſuis ipſorum Prædicantibus habent. Clericorum vero deſpicientia, quam apud ganeones, & ardeliones quoſdam inualuiſſe indicat ibidem, quaque tantopere, tanquam eius auctor,

& magiſter, exultat Lutherus, an eorum ordinem, ac ſtatum prauum eſſe docet? Sic ſane & veteris legis tempore, liceret id, quod ipſemet ſtatuerat Dominus, ſacerdotium vocare impium, ac futile, quia iis, qui e bono, ſacroque alioquin ordine praui erant, dixit Dominus Malach. II v. 3; *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſecum.* Vin' ſcire, mi homo, quid hæ in clericos contumeliæ, ludibria, & ſannæ efficere debeant? Non ſane, vt Clerici deſinant eſſe Clerici: vt clericales reditus in patrimoniis, & peculiis ſuis numerent: vt ſcorta ſibi, per falſam coniugii ſpeciem, adiungant: vt e ſacris profani fiant, ſed vt in eodem illo ſuo ſtatu, & ordine omnem vitæ prauitatem corrigant, omnem ſcandalorum anſam remoueant, ſacerdotali conuenientes gradui mores, pietatem, & doctrinam præ ſe ferant. Ita enim eodem loco Dominus v. 7; *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum eſt. Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicut non ſeruaſtis vias meas; & accepiſtis faciem in lege.* Tertia Lutheri ratio. Edit. I pag.

*Evvre Kurf. G. hatt deſs für andern gröſſer Vrſach, vveil ſie ſich an Gott vergriffen, vnd zu Halle den Geiſtloſen Standt helffen mit groſſer Koſt vergeblich ſtercken.*

Celſitudo veſtra præ ceteris magnam cauſſam habet, quoniam Deum offendit, quod Halæ ſtatum minime ſpiritualem magno ſumptu fruſtra confirmare conata eſt.

Hæc quidem oratio magnam Alberti laudem continet, ſi, vt fieri debet, pro Lutherano *Geiſtloſen*, catholicum *Geiſtlichen* reponamus. Quarta vero ratio.

*Hie hatt E. Kurf. G. ein ſchön Exempel, den Hohemeiſter in Preuſſen.*

Habet hic præclarum Celſitudo veſtra exemplum, magnũ Magiſtrum in Pruſſia.

Egregium vero, & dignum, quod imitandum proponatur, exemplum. Duxit in Pruſſia vxorem Teutonici Ordinis Magiſter ex eadem Brandenburgica familia, eodemque nomine *Albertus*. Imitari ergo in Germania debet Moguntinus Archiepiſcopus, & Cardinalis *Albertus*. Immo, quia tanto illuſtriſſimam dedecore familiam, nobiliſſimumque Teutonicum Ordinem affecerat degener ille Brandenburgicus, merito cauere ſibi debuit *Albertus* alter.

*Tum tua res agitur, paries cum proximus ardet.* †

† *Horatius* l. 1 ep. 18 v. 84.

*Aeneid. 2. v. 311.* Ne ſit Virgilianus * ἐκ ἀλλέγων, cauet quiſquis prudens eſt. Malorum exempla nobis (*non*) ad imitationem, ſed ad cautionem diuinitus conceduntur. Et tamen quam infelix fuit ille illius hymenæus? quam infauſtæ faces? Noluit rectiſſime imitari Albertus noſter: ſed memoria noſtra imitatus eſt Archiepiſcopus & Elector Colonienſis *Gebhardus Truchſeſſius*. At quam recte, quamque feliciter, teſtis calamitoſiſſimus ipſius exitus, & importuniſſimum, Lutheranæ ciuitatis miſericordia, Caluinianus ille cum eſſet, ductum ei Argentinæ funus. Verum aliud multo maius, grauius, & efficacius adhibendum cenſuit exemplum idem Lutherus. Ipſe ipſe tantus vir, tantusque DEI propheta, & Elias, eodem tempore, ac anno, monachus monachan *Catharinam Borenſem* ſibi deſpondit, fictoque coniugio iunxit Lutherus. *Ich* (ait eodem loco ad quendam ſcribens) *habe ein Weib genommen, daſs ich meine Lehre (die vielleicht nach meinem Todt vvieder vndergetrückt vvirdt vverden) mit meinem eigen Exempel beſtetigt.* i. e. *Ego vxorem duxi, vt doctrinam meam, quæ forte poſt mortem meam iterum ſupprimetur, meo ipſius exemplo confirmarem.* Et hanc quidem pathicam feminam duxit ille tempore triſtiſſimo, maximeque lacrymabili, cum, vt ipſe in citatis iam litteris, quibus ad nuptiales epulas Amſdorffium inuitat, ſcribit, *miſerorum ſanguine ruſticorum redundaret Germania*, cumque eſſet, vti deflet Poeta *, *fol. 228.* *Aeneid. 2.*

*Luctus vbique, pauor, & plurimâ mortis imago.*

*v. 4.* Tam belle ſeruabat Epicurus iſte, quod ab diuino Eccleſiaſte dicitur c. III; *Omnia tempus habent. Tempus flendi, & tempus ridendi: Tempus plangendi, & tempus ſaltandi.* quin & cum de Spiritu ſancto accipiendo, & conſeruando maxime 890

Edit. I pag. 891

xime cogitandum, ipſe in ſpiritu carnis totus erat, ipſaque Pentecoſte, & deinceps ad nuptiarum ſuarum hilaritatem amiculos vocabat, vt ibidem cernitur fol. 227, 228, & ſequentibus. Quinta porro eius ratio eſt.

*Solte das allein gnug ſeyn, das E. Kurf. G. ein männlich Perſon von Gott gemacht.*

Debebat id ſolum ſufficere, quod Celſitudo veſtra a DEO mas creatus eſt.

Itane? Nonne mas fuit Elias, Eliſæus, Ioannes Baptiſta, S. Paulus, CHRISTVS IESVS? An contra DEI præceptum commiſerunt, quia feminas non cognorunt? Iouiniani eſt hoc vetus argumentum, *ſubantis*, ait *S. Hieronymus* lib. contra ipſum, & ad libidinem, pecudum inſtar, veſane ac impudenter adhinnientis. Quaſi tamen præclara, & auditu digna dixiſſet, addit amplificationes & præſertim duas illuſtres. *Vna* eſt,

*Auf ſolche gevvaltige tröſtliche Verheiſſung vvage es E. Kurf. G. friſch, vnd herauſs aus dem leſterlichen vnchriſtlichen Standte, in den ſeligen, vnd göttlichen Standt der Ehe, da vvirdt ſich Gott gnediglich finden laſſen.*

Hac tanta tanquam ſuaui conſolatione excitata Celſitudo veſtra audeat, & ex abominabili tranſeat ad beatum & diuinum ſtatum matrimonii. Ibi Deus benignum ſe exhibebit.

Non aliter Epicurus, aut leno quiſpiam ad lupanar bonum & ſimplicem quempiam iuuenem inuitaret: non aliter illa Prouerbiorum VII petulantiſſima meretrix, quæ ait; *Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus. Altera*, v. 18.

*Schrecklich iſt, ſo ein Mann ohn Weib gefunden ſolt vverden im Tod, zum vvenigſten, daſs er doch ernſtlicher Mainung, vnd Willens vvere in die Ehe zukommen. Denn vvas vviler antvvorten, vvenn Gott fragen vvirdt; Ich habe dich zum Mann gemacht, der nicht allein ſeyn, ſondern ein Weib haben ſoll, vvo iſt dein Weib?*

Horribile eſt, ſi vir ſine vxore in morte inueniatur, niſi minimum ſerio propoſuerit inire matrimonium. Nam quid reſpondebit, ſi Deus interroget, virum te creaui, qui ſolus eſſe non debuit, ſed cum vxore. Vbi igitur eſt vxor tua?

Bone Deus! Quis talem vnquam diuini iudicii deſcriptionem audiuit? Quis omnibus, quibus vxor non eſt, ſeueram adeo a ſummo Iudice quæſtionem ponendam legit? Prorſus, quaſi veteres gentilium contra cælibatum leges in cælis adhuc vigerent. Longe alia nobis in iudicio proponenda, vel obiicienda ſacri docent Euangeliſtæ, Apoſtoli. Nam, vt de fide, quæ ſalutis principium eſt, ſine qua *impoſſibile eſt Deo placere* Hebr. XI, taceam, quia *qui non credit, iam iudicatus eſt* Ioannis X*; Chriſtianis certe hæc, quæ in Argentinenſi ſummo templo contra infelicem *Truchſeſſium*, qui ibidem indigne pridem ſepultus, maximis litteris etiamnum hodie depicta, S. Matthæus in iudicio extremo, a ſummo iudice dicenda refert cap. XXV verſ. 34; *Eſuriui & dediſtis mihi manducare* &c. Rurſumque v. 41; *His qui a ſiniſtris erunt: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me.* Quod ſi operum eiuſmodi a Chriſtianis omnibus exigetur adeo accurata ratio, quanto magis ab Epiſcopis? & Matthæi XII verſ. 36, *Dico*, ait Dominus, *vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* Vbi de muliere vlla quæſtio? Epiſcopos profecto formidabilis, & horrifica illa vox reſpicit: *Redde rationem villicationis tuæ.* Lucæ XVI verſ. 2. Tantum tibi Epiſcopatum, tantam eccleſiam, tot animarum millia tam charo ſanguinis mei pretio redempta commiſi. Redde rationem villicationis tuæ. Quantam earum curam geſſiſti? Quomodo vt in ſancta Catholica fide erudirentur, & conſeruarentur, a vitiis & ſceleribus abducerentur, in DEI, ſanctaque charitate magis & magis perficerentur, elaboraſti? Paſtorem gregis mei, populi mei, ouium mearum te conſtitui. Quomodo eas verbo, exemplo, precatione pauiſti? Hæc dicit Dominus

v. 6.

*l. III v. 18

DEVS Ezech. XXXIV vers. 2; *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos:* Edit. I
v. 3 *nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini,* pag.
v. 4 *& quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non*
v. 5 *quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium*
v. 6 *bestiarum agri. Et dispersæ sunt oues meæ. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso: & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret, non erat, inquam, qui requi-*
v. 7 *reret. Propterea, pastores, audite verbum Domini: viuo ego, dicit Dominus*
v. 8 *DEVS: quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor (neque enim quæsiuerunt pastores mei gregem meum) sed pascebant pastores semetipsos, & gre-* 892
v. 9, 10 *ges meos non pascebant: propterea, pastores, audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus DEVS: Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, vt vltra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum: & non erit*
v. 11 *vltra eis in escam. Quia hæc dicit Dominus DEVS. Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas.* Audis, Luthere miser, audis, quid ab Alberto, quid ab aliis Episcopis omnibus in hora mortis, in particularis, extremique iudicii tempore rogandum, & exigendum sit? Nusquam ii accusantur, quod secubuerint, quod feminis caruerint. Nunquam ab iis petitur, vbi mulier, vbi vxor tua? Væ alioquin omnibus, qui hactenus in ecclesia DEI floruerunt, magnaque doctrinæ ac sanctitatis luce fulserunt, *Athanasius*, *Basilius*, *Hilarius*, *Gregorius*, *Ambrosius*, & vt innumerabiles alios præteream, *D. Augustinus*, de quo in eius vita testis oculatus ita *Possidius* cap. XXVI; *Feminarum intra domum eius nulla vnquam conuersata est, nulla mansit, nec quidem germana soror, quæ vidua DEO seruiens multo tempore vsque in diem obitus sui præposita ancillarum DEI vixit. Sed neque patrui sui filiæ, & fratris sui filiæ, quæ pariter DEO seruiebant: quas personas sanctorum Episcoporum concilia in exceptis posuerunt. Dicebat vero, quia etsi de sorore, & neptibus secum habitantibus nulla nasci possit mala suspicio, tamen quoniam illæ personæ sine aliis necessariis, secumque manentibus feminis esse non possent, & quod ad eas etiam aliæ foris intrarent, de iis posse offendiculum, aut scandalum infirmioribus nasci, & illos, qui cum Episcopo, vel quolibet Clerico forte manerent, ex illis omnibus feminarum personis vna commorantibus, aut aduentantibus, tentationibus humanis posse perire, aut certe malis hominum suspicionibus pessime diffamari: ob hoc ergo dicebat, nunquam debere feminas cum seruis DEI, etiam castissimis, in vna manere domo, ne (vt dictum est) aliquod scandalum vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus. Et si forte ab aliquibus feminis vel videretur, vt salutaretur, rogabatur, nunquam sine Clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis vnquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset.* Ita *Possidius*. Ne tamen *vxor* omnino desit Episcopis, sciat Lutherus, a veteribus Patribus ecclesiam illis commendatam, eorum vocari vxorem & sponsam, vt supra in Ioanne II vidimus: & videre amplius licet apud *S. Hieronymum* epist. ad Oceanum, *Theophylactum*, & *Oecumenium* in I Timoth. c. III, *S. Ambrosium* lib. de dignitate sacerdotali cap. IV. Vnde doctissima doctissimi Polonici Ecclesiastæ *Socolouii* oratio IV est, quæ in Episcopi consecratione, tanquam in eius nuptiis, inscribitur *Epithalamion:* & in poëtica de Archiepiscopo *Wolffgango* electo gratulatione aliud *Epithalamion*, & quidem de *nouis ecclesiæ Moguntinæ nuptiis:* itemque in alia de Reuerendissimo *Ioanne Adamo* electo, *Sacra sponsalia*. His ergo, si socordia, & inertia sua ecclesiam sibi suam per hæreses, & scandala eripi patiantur, dicetur sane, *vbi vxor tua?* Quomodo eam a Luthero, Caluino, & similibus rapi, a sceleribus, & flagitiis inquinari, ab rerum diuinarum ignorantia, scandalorumque impunitate violari siuisti? Hæc, Luthere, in iudicio erunt examina: hæ quæstiones: hæ opprobrationes, non illæ tuæ venereæ, inauditæ, flagitiosæ. Quin potius, si quod absit, aurem

tibi

Edit. I p. 893 tibi dediſſet Albertus, ei ante DEI tribunal ſtanti, palpitanti, totisque artubus contremiſcenti dictum fuiſſet: *Quæ illa tecum mulier? Quid ea ſibi vult?* Eccleſiæ meæ Chriſtianæ Pontifices, caſti, cælibes, coniugii vel omnino, vel certe, ſi vxores olim forte duxiſſent, coniugalium operum expertes, iam inde a principio eſſe conſueuerunt. Quæ igitur iſta tecum mulier? Scortum eſt, non coniunx: impura meretrix eſt, non vxor. Hæ, quas vocas nuptias, non ſunt veræ nuptiæ. Ito maledicte in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis eius, e quibus Aſmodæus eſt, qui blandiloqua cupidineaque Lutheri lingua & calamo te ſibi totum in æternum mancipauit. Eſt enim diligenter in Lutheri verbis hoc notandum, velle ac vrgere ipſum, vt in earum, quas vocat vxores, cum reapſe non ſint, vel contubernio, vel contubernii conſtanti propoſito firmoque deſiderio ex hac vita emigrent eccleſiaſtici. quod non eſt ſimpliciter peccare, ac libidine interdum labi (Hoc enim licet improbe nequiterque fiat, propoſito tamen mutato, impuroque diſſoluto contubernio expiari per pœnitentiam ſeriam poteſt) ſed eſt in peccato, nefariaque conſuetudine pertinaciter inſiſtere ac immori, nulla præteritæ culpæ pœnitentia, nullo emendationis deſiderio ac propoſito teneri. Hæc igitur & his multa terribiliora, quæ Luthero ipſi, quæ Truchſeſſio quondam Archiepiſcopo, quæ Teutonico illi Magiſtro dicta ſunt, Alberto etiam noſtro dicta fuiſſent, ſi quidem, quod clementer auertit DEVS, ab ſacris eccleſiæ Catholicæ inſtitutis, canonicis legibus, piis caſtisque maiorum exemplis abſtrahi ſe ac diuelli paſſus fuiſſet. Sed in vocatione, qua vocatus erat firmus perſtitit, falſum connubii nomen repudiauit, Catholicam ad extremum vſque ſpiritum fidem conſtans retinuit.

XV Vnde noua ei gloriæ ſeges exorta. Cum enim eius peruertendi ſpem omnem abieciſſet Lutherus, ſeque indies plurimorum a ſancta maiorum religione deſciſcentium tam Summatum, quam vulgi turba munitiorem videret, ideoque audacior quotidie, tumidior, & effrenatior fieret, cœpit bonum Principem vel ſannis variis afficere, vel falſa ei facta & dicta, prout libuit, affingere, aut vera quæ eſſent, male interpretari ac ſiniſtrorſum trahere, vt videre eſt in illius tomo VII fol. 417 & 428. in Sympoſiacis cap. de verbo DEI fol. 7. cap. de peccato ſemel & iterum fol. 98. cap. de Antichriſto fol. 253 & 254, alibi. Sed quemadmodum *a laudatis viris laudari magna laus eſt:* ita & ab illaudatis vituperari, gloria non parua eſt. Exemplum eſſe poteſt in eo, quod eiuſdem Alberti noſtri prouerbium vocat idem Lutherus in citatis iam Sympoſiacis c. de verbo DEI fol. 18. Ipſum enim refert dicere ſolitum: *Multa tempori commendanda ſunt: futurum confido, vt Catholica rurſum religio ac pietas in Germania vigeat.* Quid in hac oratione non prudens, cautum, & ſapiens? An quæ Dei bonitas & gratia eſt, cuique maximæ hoc etiam nomine grates ſint; non videmus quotidie, multis in locis, etiam Moguntinis, quæ afflicta prorſus proſtrataque iacebat, reſtitui, reuiuiſcere, ac refloreſcere ſacroſanctam maiorum fidem? Ideoque non parua in laude ponendum, quod ibidem indignans de Alberto ſubiicit Lutherus: *Recte inſtitutus eſt Romæ Albertus. ideoque Lutheranam doctrinam noſtram flocci facit.* Verum hæc modo ſatis.

Hæc auctor, plus iuſto fere ad alia aberrans; ordine præterea plane inuerſo progreſſus. Vnde iuuabit cum diſtinctius, tum plenius illorum dare ſeriem.

*comitiis Spirenſibus interfuit.*

1) Turbis ſcilicet Packianis (de quibus ad § VI dictum) compoſitis, Albertus ad negotia Imperii tranſiit publica, atque anno ſtatim ſequenti XXIX interfuit Comitiis apud Nemetes, religionis & belli Turcici cauſſa, habitis. *Seckendorfius* l. d. § XLIV addit. lit. *c.*) p. 129. In quibus cum *Ioannes*, Septemuir Saxo, *Georgius*, Marchio Brandenburgicus, *Erneſtus* & *Franciſcus*, Duces Luneburgici, *Philippus* Haſſiæ Landgrauius, & *VVolfgangus* Anhaltinus decreto comitiali intercederent (quod vulgo *proteſtari* dicitur) *Proteſtantium* nomen originem traxit. *Sleidanus* lib. VI p. 160.

*Collegiatas Francofurti interuiſitat.*

2) Hæc vero dum fiebant, Francofurti in Collegiatis ad *D. Bartholomæi*, *D. Leonhardi*, & *B. M. V.* diſciplina cum eccleſiaſtica, tum rei familiaris adminiſtratio tam turpiter collapſa erat, vt metus eſſet, ni arctioribus vtraque legibus deuinciretur, peſſima populo praui moris exempla importatum iri. Quod cum Albertus comperiſſet, *Valentino* de *Tetteleben*, Canonico Moguntino & Magdeburgenſi, Præpoſito Lebuſſenſi & Francofurtenſi, *Bernhardo Scholl*, Protonotario & curiæ Moguntinenſis eccleſiaſticæ Iudici, nec non *Ioanni Pfaff*, ciuitatis Moguntinæ Prætori ſiue Sculteto, litteris Aſchaffenburgi die XI Iunii ſcriptis mandauit, de his omni fide ac induſtria inquirerent, rebusque omnibus talem imponerent ſtatum, qualem veteris nitor religionis

nis & priſcus viuendi ritus requirant.

*Electum Daualienſem conſecrat.*

3) Inde Seligenſtadii *Nicolaum Schigmer*, electum Daualienſem, Moguntinenſi & Herbipolenſi Suffraganeis rei ſacræ ſubſeruientibus, *Valentino* vero, quem modo dixi, de *Tètteleben*, *Diethero VVenck*, Moguntiæ ad D. Victor. Præpoſito, *Conrado Rucker*, Scholaſtico Aſchaffenburgenſi, aliisque teſtium loco præſentibus, conſecrationis munus, dominica poſt ſacratiſſimæ Triadi feſtam XV, laudato cæremoniarum ordine impertiuit.

*Auguſtæ in comitiis varie occupantur.*

4) Succeſſere anno ſequenti MDXXX celebratiſſima illa Comitia Auguſtana. In quibus quam ampliter occupatus fuerit Albertus, memorare oportet. Cæſarem nimirum, vt die XV Iunii ad vrbem venit, nomine omnium decentiſſima oratione excepit. *Cæleſtinus* hiſtor. A. C. tom. I p. 79. Die vero ſequenti in ſupplicatione publica, magnifico ſub vraniſco (quem ſex Principes, alii aliis, cum in ſtationibus quieſceretur, ſuccedentes, geſtabant) ſacram ipſe tulit hoſtiam. *Idem* l. d. p. 81 & ſeq. Poſtridie cum Cæſar conſenſiſſet, vt per delegatos cum Proteſtantibus de intermittendis concionibus ageretur, itidem inter eos fuit, quibus id commiſſum. *Seckendorfius* l. d. § LXI n. 2 p. 165. Seſſione poſt ſecunda, die XXIV Iun. legato Pontificio, Cardinali Campegio, iuſſus reſpondit. *Cæleſtinus* l. d. p. 132 b.)

*Iurium Electoralium conſeruandorum ſtudioſus eſt.*

5) Cæſaris interim honori ſic ſtuduit, vt Septemuirum iura, dignitatemque Imperii haud haberet neglectui. Luculentiſſimo teſtimonio eſt obnuntiatio, quam ſuo, ceterorumque Principum Electorum nomine die menſis Iulii XXIX in curia Ciuitatis, magna teſtium quammaxime illuſtrium corona circumſiſtente, interponere iuſſit *Caſparem* de *VVeſthauſen*, *v. eod. Dipl.* Cancellarium ſuum. Nimirum, cum Carolus paullo ante, dum in Italia agebat, pactionem cum Pontifice, Venetis, aliisque feciſſet, inſciis Electoribus; iisdem etiam ad ſollemnia coronationis Imperatoriæ Bononiæ celebrata haud euocatis, quæ Septemuiris vi A. B. competunt munia, Principibus Italis, dum inaugurabatur, ex parte demandaſſet, vt neutrum ſibi vel Imperio, præcipue vero Colonienſi, qua Archicancellario Imperii per fines Italiæ, fraudi aliquando foret ac præiudicio, vtrique intercedendum ipſe non minus, quam Collegæ ceteri, boni publici cauſſa cenſuit ſtatuitque.

*in religionis occupatur negotio.*

6) Inde ad religionis rediit negotium, & quum amicabili via partes diſſidentes ad concordiam reducendas nonnulli Principum prouido iudicarent conſilio, ipſe die Auguſti tertia Cæſarem rogauit, vt ipſis permitteret, de conciliatione incunda cum Proteſtantibus aliqua ratione agere. *Seckendorfius* l. d. § LXVI n. 7 p. 173. Poſt illa, quum de faciendo decreto comitiali deliberaretur, alios inter & ipſe delectus eſt, qui conſcribendo iſti manum admoueret. *Sleidanus* l. d. p. 178.

7) Id quomodo habuerit, apud *Caleſtinum* l. d. f. 137 b) *Chytræum* p. 462 & ſeq. & in compendio apud *Sleidanum* l. d. p. 179 & 185, *Maimburgium* lib. II ſect. XXXV n. 1 legi poteſt. Nihilo tamen ſecius, cum poſtridie eius diei, quo Proteſtantibus recitatum fuit, Ioachimus frater minis aduerſus Saxonem, ſociosque egiſſet, dixiſſetque, fore, vt Ordines reliqui cum Cæſaris potentia ſuas iungant vires, immo vitam & ſanguinem impendant, quo ei præſtetur obſequium; ipſe miſſo ad Saxonem tum abiturientem Ruhelio teſtatus eſt, ſe non adſtipulari dictis; petiiſſe potius a Cæſare, vt ipſum aliosque excuſatos haberet, maxime a culpa rebellionis ruſticæ; ab illa enim plane immunes eſſe. *Seckendorfius* l. d. § LXXVIII n. 8 p. 201, & addit. *y*) p. 205, *Sleidanus* l. d. p. m. 182. Edit. I p. 893

*Merckelium conſecrat.*

8) Inter hæc vero *Balthaſarem Merckelium*, Epiſcopum Hildesheimenſem & Conſtantienſem, Cæſare & Imperii Ordinibus magna cæremoniam pompa cohoneſtantibus, conſecrauit. *Mallinkrot* de Archicancellar. & Vicecancellar. Imper. p. m. 438, *Pregizerus* catalog. Epiſcopor. Conſtantienſ. Sueuiæ ſacræ ſubiuncto p. 477.

*Septemuiros Coloniam euocat.*

9) Ex vſu tum rei publicæ Cæſar, ſibique neceſſarium iudicabat, vt ſecundum ſe crearetur aliquis Romanorum Rex, velut alterum Imperii caput. Quare Albertus litteris XIII menſis Nouembr. die ſignatis Electores, vt ad d. XXIX Decembr. ſibi Coloniæ adſint, citauit. Quas quidem Ferdinando, qua Regi Boiemiæ (*Königlicher Durchlauchtigkeit zu Hungarn vnd Boheim*) die XVI ſequenti reddidere *Marquardus* de *Stein*, Præpoſitus maior Moguntinus, *Caſpar* de *VVeſthauſen*, Cancellarius, & *VVolfgangus Möhrlin*, dictus *Behem*, Mareſchalcus: Treuirenſi, die XXVII Nouembr. Montaburii *Matthias* ab *Yle*, Iulium Doctor, & *Eberhardus Rüd* de *Collenberg*: Colonienſi, iidem Poppelsdorfii prope Bonnam, die Iouis poſt Andreæ: Palatino, die XXII Nouembr. in arce noua (vulgo *Neuvſchloſs*) idem *Eberhardus Rüd* de *Collenberg*, & *Laurentius VVildhelm*, D. Saxoni, Torgauiæ die XXVII Nouembr. *Leuinus* de *Veltheim*, Præpoſitus ædis maioris Hildesheimenſis, & *Chriſtophorus Turcus*, Cancellarius Halenſis; Brandenburgenſi, iam Auguſtæ die XIX Nouembr. *Caſpar* de *VVeſthauſen*, & *VVolfg. Möhrlin*, dictus *Behem*; ſupra iam allati.

*de Romanorum Rege creando agit.*

10) Inde Cæſarem ſecutus, contendit Coloniam, & de Rege Romanorum creando cum Collegis egit: Legatis Saxonicis, *Ioanne Friderico*, Septemuiratus herede, & *Ioanne* de *Minckvvitz*, Equite aurato, cœptis conſultationibus ac negotio ipſi die XXIX Decembr. in ſacrario ædis maioris nec quicquam obnuntiantibus.

*Ferdinandum eligit.*

11) Quippe ſub anni MDXXXI initium, quinto nimirum menſis Ianuarii die, itum in ſuffragia, quibus Ferdinandus Rex Romanorum dictus eſt: poſtridie vero fœdus initum, quo ſe electionem factam tuituros inter ſe ſtipulati ſunt, tum Carolus & ipſe recens deſignatus Romanorum Rex, tum Albertus & Principum Electorum reliqui.

*inaugurationi illius intereſt.*

12) Colonia poſt omnes profecti ſunt Aquas, locum inaugurandis Germaniæ Regibus definitum: vbi Albertus Colonienſi XIII Ianuarii die * Ferdinandum vetuſto ritu, cæremoniaque

Edit. I p. 893

moniaque diademate ac ceteris regni decoribus exornanti, magna adſtitit reuerentia, auctoritateque. Et cum moris ſit, vt Archicancellarius S. R. I. per Germaniam ſigillum Imperiale, quod ſub conuiuio catena ſiue tænia collo appenſum geſtare ſolet, epulis ſollemnibus finitis, noui Regis committat Cancellario; id Albertus, ad diuerſorium reuerſus, per *Valentinum Tettelebium*, ex baculo argenteo oblongo pendens, vna cum equo generoſo, eximiæque formæ, *Bernardo Cleſio* ſiue *de Glos*, Cardinali & Epiſcopo Tridentino, qui tum Ferdinandi regebat curiam, transmiſit. Die vero Saturni, coronationem proxime ſecuta, Aquisgrano, domum reuerſurus, diſceſſit.

* Sleidanus *quidem lib. VII p. m.* 191; **Ibi Ferdinandus inauguratus regno fuit „vndecimo Ianuarii die. Heuterus** *lib. X cap. VI*; **„ Tertio Idus Ianuar. corona Caroli M. argentea Aquisgrani magna cum pompa redimitur. Quos** Struuius, *aliique ſequuntur. Sed* **Andreas Rucker**, *Alberti a ſecretis, qui Coloniæ tum ac Aquisgrani præſens fuit, & tam electionis quam coronationis actum, qua Tabellio publicus, in litteras miſit, diſerte XIII Ianuarii die ſcribit coronatum.* **Auff Dornſtag, „ octaua trium Regum, „ tredecima Ianuarii, anno milleſimo, quingenteſimo, triceſimo primo, iſt Kônig Ferdinand zum Romiſchen Kônig coronret vvorden, vvie folgt &c.**

*Adiutorem adſumit.*

13) Domum redux, prægnantibus adductus cauſſis, *VVilhelmum*, Epiſcopum Argentoratenſem, Collegii metropolitani voluntate & conſenſu, die menſis Martii XI ad partem Archiepiſcopalium curarum in diœceſi Moguntina ſuſtinendam, ſociamque in iure dicundo poteſtatem, *Adiutoris* titulo & cum ſpe ſuccedendi, certis ſub conditionibus, cooptauit: quam etiam functionem *VVilhelmus* in ſe ſuſcepit, conſtitutis Romæ Procuratoribus, qui Pontificis peterent approbationem; vt ex Inſtrumento Notariorum ſiue Tabellionum publicorum, de quo poſt, fuſius cognoſcere eſt.

*de concordia inter Ordines reſtituenda ſollicitus eſt.*

14) Sicut autem de concordia inter Ordines reſtituenda ſollicitus ſemper erat, maxime, cum Proteſtantes ſe contra vim, ſi qua fieret, hoſtilem deliberationibus Smalcaldiæ & Francofurti inſtitutis muniebant: ita ſuas Palatino, iſti reducendæ, iunxit operas. Miſſi hinc ad Cæſarem in Belgium legati, qui neceſſitatem exponerent, & cum Proteſtantibus tractandi peterent facultatem. Cum Carolus annuiſſet, *Chriſtophorum* ipſe *Turcum*, Cancellarium Halenſem, & *VVolfgangum* a *Bach*, Præfectum Querfurtenſem, die XXVI Maii ad Electorem Saxoniæ ſine mora delegauit; quin, cum iter tum per ſiluam haberet Thuringicam, *Nicolaum* etiam *Endium*, Vallis S. Georgii Præfectum, in vicum Tambach ad ſe accerſiuit, multa de pacis conditionibus cum illo collocutus. *Seckendorfius* l. d. lib. III § V addit. II p. 16. Secutus mox Smalcaldiæ conuentus; in quo legati Alberti & Ludouici cum fœderatorum legatis congreſſi. *Sleidanus* l. d. p. 201 & ſeq. *Seckendorfius* l. d. § V p. 16.

*VVilhelmo poſt Coad-*

15) Quum vero inter hæc prægrandes quædam, notabiles & arduæ cauſſæ (quas in dicto ſupra Inſtrumento latius expoſitas habes) *VVilhelmo* ſuccurriſſent, facerentque, vt onus, quod in ſe receperat, ab ſe remouendum ſtatueret, die XXIV menſis Nouembris Moguntiæ in conclaui Capitularium conuentibus dicato, ſponte, libere, ſcienter, reque bene deliberata, Coadiutoriæ ſiue procurationi, quam capeſſiuerat, renuntiauit. Quam abdicationem tum *Albertus* ratam habuit, tum Collegium, quod præſens erat, princeps. Rem in litteras, vt dictum, miſere duo Notarii, quorum Inſtrumentum, vt vocari ſolet, inuenies in codice noſtro. *iuuria ſe abdicante.*

*de pace inter Ordines agit.*

16) Anno ſequenti MDXXXII, eodem, quo ſuperiori, animo Cæſarem, cum Ratisbonam iturus Moguntiam tranſiret, non minus quam Septemuir Palatinus Ludouicus rogare haud ceſſauit, vt cœptum de pace conficienda negotium reſumi permitteret; eoque annuente, Saxonem atque Landgrauium, vt conciliationi perſequendæ integros ſe lubentesque traderent, per litteras monuit. Qua ratione factum, vt Suinfurti primum, dein Norimbergæ denuo de pace ageretur; quæ etiam, licet ægre, tandem in hanc coaluit conditionem; ne religionis cauſſa cuiquam vlla moleſtia creetur, ad vsque concilii tempus: aut ſi nullum ageretur, tantiſper, donec per Ordines Imperii alia fuerit inuenta ratio diſſidium hoc ſanandi. *Sleidanus* l. d. p. 205 & ſeq. *Seckendorfius* l. d. § IX p. 19 & ſeq.

*cum vicinis Principibus in fœdus coit.*

17) Vti vero fœderis Sueuici vires multis Ordinum quam maxime ſuſpectæ erant, ita per hoſce dies de alio agi cœptum a Principibus Rheno conterminis, Landgrauio, qui illud ſuis de reſtituendo Wirtembergenſi conſiliis obſtare videbat ac officere, haud parum adnitente: in quod tandem Veneris poſt D. Leonhardi memoriam *Ioannes* Treuirenſis, *Conradus* Herbipolenſis, *Ludouicus* Comes Palatinus Rheni, Princeps Elector, *Philippus*, quem dixi, Landgrauius Haſſiæ, & ipſe *Albertus* coiuere. quod dein ad diſſoluendum fœdus Sueuicum haud parum momenti attuliſſe, vix dubitarim. Conf. *Dattius* de pace Imperii publica lib. II cap. XXIV n. 28 p. 430, & n. 39 p. 433.

*Saxonem cum Ferdinando componit.*

18) Biennio poſt cum *Georgio*, Saxoniæ Duce, ſimultati, quæ Electori Saxoni cum Rege *Ferdinando* intercedebat, reſtinguendæ vigilias admouit, eoque ſollertia ſua rem deduxit, vt Lunæ poſt Ioan. Baptiſtæ, id eſt, die XXIX Iunii, ſubortum diſſidium ad eas pacis conditiones adduceretur, quas *Sleidanus* l. d. lib. IX p. m. 224 & ſeq. *Seckendorfius* l. d. § XXVI n. 9. p. 75 ſummatim referunt; *Hortlederus* vero lib. I part. III cap. XIII, ipſa transactionis formula in medium allata, explicat.

*colloquii Lipſiæ inſtituti auctor eſt*

19) Ceterum in ſpem veniens, fore, vti mutuo colloquio via quædam ad religionis controuerſias etiam minuendas, conciliandasque muniretur, id dedit operam, vt eodem hoc anno Lipſiæ quidam hac de re inſtituerentur conuentus. Actum autem de iuſtificatione hominis peccatoris, & ſacrificio Miſſæ: non

non item de reliquis. nolebant enim ſuis de cauſſis vlterius progredi Electorales Saxonici. Fuere ii *Gregorius Pontanus* & *Philippus Melanchton*. Ab Alberto vero aderant *D. Vehus*, Suffraganeus Halberſtadenſis, item Præpoſitus operis noui Halenſis, Ordinis Dominicanorum, & *Chriſtophorus Turcus* : a Georgio Saxoniæ Duce, *Iulius Pflugius*, Decanus tunc Miſnenſis, & *Georgius Carleuitius*. *Seckendorfius* l. d. § XXXI in addition. p. 90 ex ἀρχείῳ Vinarienſi Reg. H f. 88 n. 34.

*veteris religionis eſt tenax.*

20) Quamuis autem humanius aliis & beneuolentia quadam cum Lutheri ageret adſectatoribus, veteris tamen, vt vocabant, religionis per erat ſtudioſus. Aperte *Latomus* in catalogo; *De ampliſicanda & conſeruanda Catholica religione cum doctis ſæpe egit, & quantum temporis iniquitas tulit, rebus deploratis mederi non deſtitit : nunc humanitate vicinos Principes & oppida inuitans, nunc minis quosdam territans.* Anno certe MDXXXVII Electori Saxoni, libellum de recuſatione Concilii cum litteris mittenti, blande quidem, ſed callidis vſus verbis, reſpondit: *Se, cum ventum foret ad tractandum de reformatione & bona ordinatione eccleſiæ, per Dei gratiam ita geſturum eſſe, vt rationem Deo, ſuperioribus, & in vniuerſum omnibus illæſa conſcientia reddere poſſit. Seckendorfius* l. d. § LII lit. d) p. 147.

*fœderi ſacro nomen dat.*

21) Quin Proteſtantibus res ſuas fœdere Smalcaldico indies magis firmantibus, idem anno ſequenti MDXXXVIII fœderi, quod Norimbergæ opera *Heldi* initum fuit, & *ſanctum* vulgo vocabatur, nomen dedit. *Sleidanus* l. d. lib. XII p. 313, *Adlzreitterus* annal. Boicor. parte II lib. X § XLIII p. m. 249.

*peculiarem tempore ieiunii quadrageſimalis conſuetudinem introducit.*

22) Poſtero, qui MDXXXIX ab humano genere reſtituto fluxit, die XXX Auguſti iſtam, de qua auctor § X, conſuetudinem peculiari introduxit ordinatione. Conſtituit autem, vt æris Campani maioris ſonitu ex ædium primaria ſignum detur, non *ad vnam fere horam*, vt auctor tradit; ſed *ad quartale vnius horæ*, ſiue ad vnum horæ quadrantem (*gegen abend, vvann ſich tag vnd nacht ſcheidet, eine viertelſtund lang*) vt in ipſa hac conſtitutione, quæ *Ordnung vnd Satzung, vvie die groſſe glock im Dom in der Faſten geleutet vverden ſoll*, inſcripta eſt, & tabulis iſtis, quas in codice Diplomatico attuli, habetur. Tum vero vnicuique ducentorum & quadraginta dierum largitus eſt indulgentias, qui orationem dominicam, vna cum ſalutatione, vt vocant, angelica, ter, & fidei chriſtianæ ſymbolum ſemel ſub hac æris Campani pulſatione religioſe recitarit. Notes autem, quod mos hic poſtea in deſuetudinem abierit: forſan, ex quo aliud pietatis exercitium hunc in finem per totum anniuerſarii Chriſtianorum ieiunii tempus hora V veſpertina in æde metropolitana pie celebrandum; quod vulgo *Miſerere* dicitur, ab Archiepiſcopo Anſelmo Franciſco inſtitutum eſt.

*teſtamentū condit.*

23) Memor autem fati, quod quemque manet, vltimi, anno MDXL ſubſecuto, animum a negotiis ſæcularibus ad tempus ſeuocando, vltimæ voluntatis ſuæ tabulas edidit. Quas cum auctor infra § XIX attingat, laudetque, notaſſe hic ſuffecerit, quod curatores illius tum nuncuparit *Marquardum* de *Stein*, ædis ſummæ Præpoſitum, *Ioannem* de *Erenberg*, Decanum, *Philippum* de *Stockheim*, Cantorem, & Caſparem *Lerch* de *Dirmſtein*, aulæ Mareſchalcum. Edit. I p. 893

* *Quin & lapidem ſepulcro ſuo olim imponendum tum temporis ex marmore rubro ſibimet cædi curauit; quod hic notaſſe non ab re erit.*

*quid in conuentu Gelnhuſano actum.*

24) Paucis poſt diebus, vt de cauſſa Geldrenſi & Cæſaris cum Iuliacenſi conciliatione, tranquillitatis publicæ cauſſa, inter ſe conſultarent, Gelnhuſæ conuentum agere viſum fuit Electoribus. In hoc vero ipſe omnem circa ſacra tractatum recuſauit, cum aliis de cauſſis, tum quod a Ferdinando monitus erat, ne quid ibi de concordia in religione tentaretur : aut ſi quid pertractatum eſſet, vt in ſuſpenſo maneret, ac ad Cæſarem referretur. *Seckendorfius* l. d. § LXXVIII addit. II lit. d) p. 266.

*magni æſtimatur a Pontifice.*

25) His, aliisque factum, vt Pontifex virtuti illius haud parum confideret, & cum ſub id tempus Cæſar conuentum Principibus Spitæ habendum indixiſſet, ſponte iam currenti, litteris d. XIV Maii datis, calcar adderet, hortatus, ſatisfaciat illic ſuo Albertus officio, honorique. Se condigna prædicaturum laude, quod is ſe talem, qualem Pontifex cupiat, præſtiterit. *Seckendorfius* l. d. § LXXIX, addit. II lit. ll) p. 276.

*ædibus ſacris adiicit cultum.*

26) Vti vero decorem ædium ſacrarum plurimi ſemper fecit, dilexitque, ita quamplurimis perinſignem ipſe adiecit. Romæ quidem, quod *Schraderus* de monumentis Italiæ p. 171, & *Palatius* l. d. memorant, ædi, quæ *S. Petri ad vincula* appellatur; quippe quam mirifico exornauit cultu; quod ad eam Presbyter eſſet Cardinalis : Moguntiæ vero ædi ſummæ, vt auctor notat § VIII. Contulit autem ei theſaurum iſtum anno hoc MDXL per donationem, vt loquuntur, inter vivos; vt *necrologium* illius diſertis habet verbis.

*metropolitanæ Mogūtinenſi quamplurimas reliquias infert.*

27) Quin, haud contentus, id feciſſe, quamplurimas etiam ſacras reliquias, e Saxonia aſportatas, eidem intulit; quod auctor § IX narrat : *Paulus* vero *Langius*, ætatis illius ſcriptor, ſatis acerbe his carpit verbis : *Eccleſias multas & complura monaſteria contra omnem inſtitiam & æquitatem, contra ius fasque, contra omnem charitatem & humanitatem, maioribus & pretioſioribus ſpolianit reliquiis, plerumque auro & argento, gemmisque incluſis, totum ſibi vſurpans, totum vendicans & reſeruans, papali autoritate & priuilegio (vt dicebatur) fretus, in damnum & iacturam eccleſiarum & poſſidentium de iure turbationem & grauamen maximum. Petere quidem ſolebat primum, ſed vbi confeſtim impetrare nequiuit verbis, vſus eſt mox viribus, potenterque, etiam ipſis ſuis poſſeſſoribus renitentibus & contradicentibus, abſtulit, quemadmodum & mihi ore proprio qui-*

Edit. I pag. *quidam lamentabiliter conqueſti monaſteriorum fuere Prælati.*

*Has inter reliquias etiam fuit* particula de tunica Seruatoris noſtri I. C. *anno MCCCCII* a Manuele Palæologo, *Imperatore Conſtantinopolitano (cuius hac de re litteras in codice Diplomatico habes)* Margaretæ, *Danorum & Sueccorum Reginæ, donata.*

Feſtus vero, quem reliquiarum iſtarum honori inſtituit, dies hoc peragi ſolet modo. Poſt matutinum Sacriſtæ aram principem, reliquiis hinc inde magno numero locatis, quam magnificentiſſime exornant. Inde veſperæ cantantur quam celeberrime. Eis finitis denſa hominum affluit multitudo, qui roſaria ſua & id genus alia lipſanorum attactu ſacranda offerunt. quorum etiam pietati ſatisfaciunt Sacriſtæ & Vicariorum nonnulli ad hoc rogati. His vero peractis reliquias illi ſuo quasque loco reponunt.

28) Annis proxime ſecutis bis interfuit Comitiis: MDXLI quidem Ratisbonenſibus. *Seckendorfius* l. d. parte III § LXXXVIII p. 361 & § LXXXIX p. 368. Poſtero MDXLII Spirenſibus. *Sleidanus* lib. XIV p. 366. Vtrobique vero ſatis manifeſte teſtatum fecit, non inſtrenuum ſe eſſe partium pontificiarum ſectatorem. Reliqua § ſequenti exſequitur auctor. *Comitia frequentat.*

XVI Anno MDXLII ipſo Deiparæ aſſumptionis feſto, de cælo tactæ ſunt
894 eccleſiæ Moguntinæ præcipuæ, metropolitana, B. Virginis ad gradus, & S. Stephani, cuius pulcherrima celſiſſimaque turris conflagrauit: fulmine in terram deiecti multi, læſi tamen nulli. Sacra domicilia ferit ex inuidia perlibenter dæmon, quemadmodum apud *Leonem Marſicanum* lib. III Chronici cap. XX videre eſt: & ſuos caſtigat Dominus filios, ſed paterne, vt videant, quas & quantas, ſi quidem vellet, momento vno inferre poſſet pœnas, necesque; prout pluribus explicat optime ſanctiſſimus apud *V. Bedam* lib. IV hiſtor. Angl. c. III Epiſcopus *Ceadda*, & *S. Vincentius* ſerm. II de Rogationibus.

XVII Eodem porro anno e decem primis Societatis IESV Patribus primus venit Moguntiam R. P. *Petrus Faber*, de quo vitæ P. Ignatii lib. III c. XI *Ribera.* Quo autem modo venerit, quid ibidem egerit, libet eius, qui ab eo Moguntiæ in eandem admiſſus fuit ſocietatem, doctiſſimi P. *Petri Caniſii* verbis audire, quæ ſua ipſe manu ſcripſit, anno MDXCVI, poſtridie Kalendarum Ianuariarum, rogatus per litteras a R. P. *Ioanne Buſæo.* Sic ergo ſcribit: *Reuerendus Pater meus Faber cum eſſet annorum circiter XXXVI, a præſtanti Cardinale, & Archiepiſcopo Alberto Brandeburgenſi expetitus, Moguntiam habitandi cauſſa peruenit anno MDXLII, quum antea Spiræ, ac Ratisbonæ vixiſſet in Comitiis Imperii, bonamque dediſſet operam multorum magnatum confeſſionibus excipiendis, & iam Germanis quoque familiaris eſſe cœpiſſet, qui religioſa ſimul, & iucunda illius conſuetudine oblectabantur. Vixit idem Moguntiæ in ædibus D. Chunradi Parochi apud D. Chriſtophorum, quem ex concubinario Carthuſianum effecit, idemque, vt puto, in Carthuſia Colonienſi diem clauſit extremum. In huius ædibus verſabar & ego, quum ſolus ad inuiſendum dictum Patrem Fabrum veniſſem Moguntiam, mihique perſuaderi paſſus ſum, vt ſpiritualibus meditationibus ſtatim exercerer. Eodem tempore Pſalterium Dauidicum ab eodem Patre in ſchola Theologica prælegebatur: atque vtinam ſcripti ab eo commentarii reperirentur, quos Carmelitanus quidam ſic ſatis illi familiaris exceperat. Vitæ ſumptus illi præbuit dictus Archiepiſcopus, qui boni patris colloquiis recreabatur, eumque mittere ſtatuerat ad Synodum Tridentinam vna cum D. Suffraganeo ſuo, creato Epiſcopo Mersbergenſi, qui P. Fabro etiam de peccatis confitebatur.* Et paullo poſt: *Moguntiæ libenter inuiſit eccleſiam Cathedralem, præſertim cum theſaurus ingens reliquiarum, quas nominatus Archiepiſcopus collegerat, ac exornarat, in maioribus eccleſiæ feſtis publice proponeretur. Ex tali conſpectu præſens Pater mirifice mouebatur, multasque fundebat lacrymas ex ardenti pectore, ſicut itidem factum fuit in die Corporis CHRISTI, cum ſanctiſſimum ſacramentum religioſe per vicos circumferebatur. Sacrificium ſubinde obtulit DEO non ſolum in ſumma æde, verum etiam apud D. Chriſtophorum, & in templo ad gradus Deiparæ virginis, tum apud Carmelitas, & extra muros ad D. Albanum. Singularem illi attulit pietatem conſpecta imago Crucis, in quam dire homo nequam ſæuierat, & altera vetuſtior, CHRISTVM crucifixum exhibens.* Et iterum: *Attulerat illi Cancellarius non exile munus ab Archiepiſcopo deſtinatum, fortaſſe L fuere Thaleri. quos omnes ille donauit xenodochii pauperibus, Cancellario valde repugnante, atque diſſuadente. Moguntia porro diſceſſit anno MDXLIII, poſtquam ego me totum ſocietati in ædibus ſupra dicti Parochi tradidiſſem, & Coloniam rediiſſem.* Hæc *P. Fabrum Moguntiam vocat.* *de quo plura.*

inter alia, & cum aliis pluribus *Caniſius*. Cui conſonat optimi cuiuſdam in Co- Edit. I
lonienſi Carthuſia Prioris R. P. *Gerardi* epiſtola, quam ad Treuirenſis Carthu- pag.
ſiæ Priorem Colonia dedit anno MDXLIII. Autographum ipſum ab Treuiren-
renſis eiuſdem Carthuſiæ Priore, illum ſecuto, donatum R. P. *Gibbono* Anglo,
Societatis IESV Collegii Treuirenſis Rectori, anno MDLXXXIX. Eſt vero
exemplum iſtiuſmodi: *Dulciſſima IESV vulnera ſalutis loco. Venerabilis in CHRISTO perdilecte Pater & amice. Inter luctuoſiſſimas noſtræ tempeſtatis procellas, quibus nunc vndique concutitur Chriſtianitas, non vſque adeo DEVS reliquit eccleſiam ſuam: quin ſuſcitauit nobis viros aliquos Apoſtolicos, quos ſpiritu ſuo impleuit, & induit virtute ex alto, vt ex multorum doctorum teſtimonio didici, qui vero feruore errantes reuocent, peccantes recreent, trahantque ad iter ſalutis, & ſequitur magnus fructus, operante inuiſibili artifice in cordibus hominum, quorum verba ſunt ſcintillæ æris candentis, cordaque tangunt, incendunt. Sunt a S. D. N. Paullo III approbati & ad diuerſas nationes miſſi. Primus eorum vocatur Ignatius & moratur Romæ, & in Italia aliqui, in Hiſpaniis, Galliis, & Portugallia ſunt alii, colentes vineam Domini. Vnus eorum Doctor eſt in Ingelſtat, & vnus moratur Moguntiæ apud Cardinalem, vir magnæ ſanctitatis. Vocatur M. Petrus Faber, Theologus Pariſienſis. Dat hominibus ſe illi offerentibus bonæ voluntatis exercitia quædam ſpiritualia, quibus intra paucos dies obtinent veram cognitionem ſui & peccatorum ſuorum, & gratiam lacrymarum; veram & animoſam conuerſionem a multis creatis ad DEVM, profectum in virtutibus, & ſecretam familiaritatem, amorem, & amicitiam DEI. Vtinam per aliquam occaſionem liceret adire Moguntiam. certe talem theſaurum deberet homo merito quærere etiam apud Indos. Spero, quod* 896
*Dominus dabit mihi videre hominem DEI, ſingularem amicum ſuum, antequam moriar, vt ab eo dirigar ad interiorem hominis reformationem, & vnionem cum Deo: ad quod ordinatio Capituli nos monet. Hoc periculoſiſſimo tempore multi adhærent hæreſiarchis, vaſis perditionis, organis Diaboli iniquiſſimi. Ideo libentius adhærere debemus amicis DEI, organis Spiritus ſancti, vt eo tutius defendamur a telis igneis, quæ dæmon iaculatur in corda hominum. Sed de hoc alias latius, ſi forte tetigerit Dominus cor P. V. vt ſuo amico Moguntiæ loquatur. Valeat P. V. in Chriſto. Raptim vltimo Maii. Anno XLIII.* Eodem autem anno R. P. ille *Faber* Moguntia Coloniam petiit, aliaſque inde vrbes ac regiones.

Albertus vero Cæſarem, ex Hiſpania in Germaniam reuerſum, vt cum Guilielmo, Duce Iuliacenſi, bello contenderet, Mogun- tiæ exquiſitis officiis humanitatis ac magnificentiæ excepit iuxta coluitque. *Brovverus* lib. XXI annal. Treuirenſ. § XXVIII p. 368.

XVIII Erat autem ad eiuſdem anni vltimum Nouembris diem indictus a Cæſare Imperii conuentus. Sed cum propter Gallicum bellum extrahendus ille videretur, ſcripſit ad Proteſtantes Principes, qui Francofurti tum conuenerant, Bruxella Cæſar, die Decembris decimo, Spiræ conuentum illum habendum, eoque ſe anni proxime ſecuturi MDXLIV Ianuario menſe venturum. Quod & fecit. & eius menſis die XXIII magna fuit ſolis eclipſis. eodemque anno lunæ tres eclipſes plenæ, quæ velut prodigium cum admiratione a mortalibus conſpectæ, præſertim cum dicerent Phyſici, tale quid a Caroli Magni tempore viſum nihil. Comitiis vero illis Spirenſibus interfuit Albertus, immo & alii omnes, quod rarum, Electores, ipſeque etiam Ferdinandus Rex.

*Legatos mittit ad concilium Tridentinum.*

1) Quum anno ſequenti MDXLV Concilium Tridentinum ſua inchoaret initia, aduerſa ipſe permebatur valetudine, eaque tam graui, vt aliquot iam menſibus ne quidem firmo incedere poſſet gradu. Cum igitur eidem per ſe intereſſe nequiret, honorifica legatione Patribus ſuum teſtatus ſtudium eſt. Delegauit autem eo viros tam eruditione quam virtute ſpectatos, *Michaelem Helding*, Epiſcopum Sidonium, ſunm in muniis pontificalibus obeundis Vicarium, *Conradum Nieroſium*, Ordinis Dominicanorum, Doctorem Theologum, *Theodoricum Kauff*, Iurium Doctorem: qui acceptis mandati tabulis Moguntiæ die menſis Aprilis XXVII ſignatis, in viam ſe dedere, & die XVIII Maii in conſeſſu Patrum comparuere; Sidonio Herum, quod concilium ipſe haud adeat, diſerta oratione iis excuſante. Conf. *Sarpius* hiſtoriæ Concilii Trident. libro II § XXXII p. m. 133.

*Landgrauio opem ferit contra hoſtem.*

2) Domi vero, quas Landgrauio ex fœdere debebat, ſuppetias tulit, cum is Henricum Brunſuicenſem, terras ſuas vi & armis contra Cæſaris ſententiam recuperare conantem, bello perſequeretur. *Seckendorfius* l. d. § CXXIV n. 7 p. 568. Sed dum ad hunc auctor deuenit annum, ita pergit:

XIX An-

Edit. I pag.

XIX Anno demum ſecuto MDXLV, die VIII Calendas Octobris, ex humanæ huius vitæ ſcena diſceſſit Albertus noſter, & in primaria æde ad aræ ſummæ baſin poſitus, ſub rubri marmoris lapide, in quo, vt lib. I cap. XXXI dicebam, eſt aliquoties * hoc e memoria numquam deponendum, *Alle hernach.* Ad vnum chori latus eius tabula quædam & imago cernitur, in qua præter alia hæc: *Albertus &c. Amator eccleſiæ.* *Moritur.*

*Sic oculos, ſic ille genas, ſic ora ferebat* **.

Obſignatas ipſius teſtamenti, quod Aſchaffenburgi anno MDXL, feria III poſt S. Pauli conuerſionem fecit, vidi tabulas, in quibus tam multa tam multis pie donat, vt iis hic recenſendis multæ haud ſufficerent paginæ. Sed extra chorum ad columnam ei ſtatutum monumentum †.

*tradit ſepultura.*

Terræ ſollemni apparatu ac magnificentia illatus fuit quarto poſt die, octauo ſcilicet & viceſimo Septembris. Deferebatur funus, ſacris veſpertinis finitis, ſub funebri æris Campani compulſatione, Palatinis proceribus ſuccollantibus, in ædem maiorem. Præibant Ordines religioſi; quos ſequebantur Clerici omnes & Sacerdotes ædium ſacrarum Collegialium; hos, primariæ claſſis Canonici; vltimi erant ciues Moguntinenſes, veſtitu lugubri, cum accenſis fraternitatum ſuarum cereis. Funeri vero ſuccedebant Plebanus, vt vocatur, chori ferrei; aulæ primores; Rector academiæ cum Profeſſoribus, Doctoribusque ceteris ac Magiſtris; Magiſtratus ciuicus; litterarum Studioſi; quos excepere ciues reliqui. Agmen claudebant matronæ, quælibet ſecundum conditionis ac dignitatis ſuæ gradum. Vbi ventum in baſilicam, ſermo, quo defunctus laudabatur, habitus; dein funus rite compoſitum, humoque conditum ad aræ tum ſummæ baſin ſub marmore, vt auctor iam notauit, rubeo.

* Non aliquoties; ſed bis tantum verba hæc, *Alle hernach*, in lapide iſto legi, iam ad lib. I cap. XXXI dictum; quod etiam aduerſus *Palatium* notandum; quippe qui l. d. tradit, *ter* inciſa legi verba illa; quorum tamen alterum ibidem librarii, quod crediderim, vitio deprauatum & commutatum eſt in *KRENACH.*

** Imago vero, de qua auctor, ſicut & tabula iſta interea euanuere. In ſacrario alioqui tabula adſeruatur, in qua picta Alberti effigies, habitu Epiſcopi; ſed ſine inſcriptione.

† Λόγος ἐπιτάφιος monumento, quod ei extra chorum ad columnam ſtatutum eſt, nec non lapidis ſupra memorati inſcriptio legi poſſunt in libello de Epitaphiis.

XX Quia vero ei viuo tam moleſtus fuit Lutherus, dabo hic Lutheranum, Melanchthonis ipſius generum, *Georgium Sabinum*, qui mortuum lachrymis & verſibus decoret. *laudatur ſtilo Sabini.*

897

*Albertus iacet hoc loco ſepultus,*
*Qui de ſanguine regio creatus,*
*Lumen Cardinei fuit ſenatus,*
*Qui virtute potentiaque rexit*
*Magni Saxonicas Othonis vrbes,*
*Et Mogunciaci fluenta Rheni.*
*Nil Germania maius hoc habebat.*
*Nam de litibus, arduiſque rebus,*
*Conuentus vbi Principes agebant,*
*Verbis promptus, & elegante lingua,*
*Ceu Laertiades regebat alter*
*Tutum conſilio ſuo ſenatum:*
*Ac tot diſſidiis vbique motis*
*Terrarum bene conſulebat orbi.*
*Pacis ſuaſor erat, quieta pacis*
*Sæuis otia præferebat armis:*
*Quin & iuſtitiæ tenax & æqui,*
*Dignas ſontibus irrogare pœnas,*
*Complectique bonos, & innocentes,*
*Mitis non ſecus ac parens, ſolebat.*
*Nec fuluum ſibi congregabat aurum,*
*Doctos munera conferens in omnes:*

*Dispensabat opes, manuque larga*
*Sacras Pieridum fouebat artes.*
*Hunc lugubria tectus ora velo*
*Albis, Rhenus, Hauelus, hunc peremptum,*
*Fontis Pegasei cohors, & omnis*
*Est respublica prosecuta fletu.*

Edit. I p. 897

1) Huic *Sabini* addimus aliud eiusdem, quod *Caesaribus* immiscuit *Germanicis* lib. II;

*Nec te carminibus nostris, Alberte, tacebo,*
*Nobile Praesul aui nomen adepte tui.*
*Ipsa gubernatrix, caput & Germania mundi,*
*Quo nihil, excepto Caesare, maius habet.*
*Omnis cura tibi magnarum tradita rerum,*
*Inque tuis humeris grande recumbit onus.*
*Te medium pacis te conditionibus offers,*
*Teutonis armorum dum pauet ora metu.*
*Dumque Ducum tacitae fraudes, & operta tumescunt*
*Bella domi, nobis, bella timenda foris;*
*Et sacra turbatur variis ecclesia sectis,*
*Omnia mixta quibus fanda nefanda iacent.*
*Ergo quod exultant securis publica terris*
*Otia, suppresso bellaque Marte silent:*
*Quodq; graui nondum Germania mota tumultu,*
*In sua conuertit viscera cede manus:*
*Se debere tuis meritis, Alberte, fatentur,*
*Compositae quotquot commoda pacis amant.*
*Ne qua sed existat metuendi caussa furoris,*
*Afflictis fidei rebus & affer opem.*
*Induat vt verum pietas renouata nitorem,*
*Quae modo dissidiis tot labefacta ruit.*
*Quod si composito per te sublata tumultu*
*Schismata turbatae religionis erunt,*
*Donec adorabit nomen Germania Christi,*
*Laudis erit nunquam fama caduca tuae.*

*Litterator suis Maecenas.*

2) Multis corporis, ingeniique dotibus exornatus fuit Albertus; in bonas vero litteras, optimarumque artium vindices animo tam propenso, vt maximam passim tulerit laudem. Videri possunt *Stromerus* praefat. in *Aeneae Siluii* de aulicorum miseria libellum an. MDXVII scripta, *Reuchlinus* in praefat. ad *Athanasii* librum, *de variis quaestionibus*, ex graeco in latinum ab se traductum, aliique: quos inter *Vlricus Huttenus* in dedicatione dialogi sui, cui *ab Aula* titulus, sub finem: *Non magnopere nostri nos status piget; sub illo scilicet, omnium quos haec natio habet Principes, benignissimo, humanissimoque*, Alberto *Cardinali & Archiepiscopo: qui quum maximo virtutum omnium teneatur studio, & singularis probitatis amicus sit, in primis tamen bonarum litterarum studia, eorumque adsertores reuerenter suspicit ac liberaliter fouet. Quis enim nunc recte per Germaniam eruditus est, quem ille non norit? aut a quo tali vnquam salutatus est, quem non largo munificentiae suae imbre conspersérit? atque vt sollicitus nuper fuit, ne quid se indignum pateretur bonus Capnion? vt cupide litteris ad se vocauit Erasmum? cuius etiam nomini solet honorificam semper praefationem adiungere: & a nobis crebro percontatur, ex docte doctis quid quisque faciat, quid patiatur.* Quod speciatim caussae Reuchlini quammaxime fauerit, idem *Huttenus* epist. ad Comitem Nuenarium (quae separatim anno MDXVIII in 4 prodiit) his memorat verbis: *Quum illi obtulisset Stromer omni conuiciorum genere refertum libellum Pepericorni aduersus Capnionis amicos, legit quidem, sed lectum, vt ad ignem forte consederat, impurissima Iudai nebulonis maledicta detestatus, & hoc omnium saeculorum memoria dignum apophtegma praefatus*; sic pereant, qui sic loquuntur; *flammae iniecit.* Quin ipsi, qui haec prodit, praedicatque, *Hutteno* anno MDXVI ad perficienda in academiis Italiae studia liberale subsidium; post vero perfugium Moguntiae praebuit: litteris eapropter anno MDXX correptus a Leone Pontifice, iisque satis minacibus, quas *Burckhardus* commentar. de Hutteno part. II p. 49 nuper inseruit.

*Reuchlini caussa fauit.*

*Hutteno itidem.*

*suis etiam laborauit nauis.*

3) Tametsi vero his, aliisque excellebat virtutibus, non omnis tamen labis expers fuit. Naeuorum nescio quid ab aliquibus iam olim notatum fuisse, vel ipse auctor supra § VII, *Latomum* secutus, haud diffitetur. Fuere inter eos *Georgius Arnoldus*, Chemnicensis, ICtus, in historia manuscr. de vita Electoris Mauricii; *Fridericus Myconius* in narrat. manuscr. quos adduxit *Seckendorfius* l. d. lib. I § VI addit. I p. 12, § VII addit. lit. f) p. 17, vt *Lutherum* hic tom. VII Altenb. f. 394 taceam.

*morte sua Pontifici iniecit curam*

4) Morte sua multum Pontifici, veterisque religionis adsertoribus iniecit sollicitudinis ac curarum. Candide nobis id Cardinalis prodidit *Pallauicinus*, qui parte I histor. Concil. Trident. lib. V cap. XV § IV p. m. 181 & seq. *Alberti Cardinalis Moguntini, qui fidei praecipuum columen in Germania merito habebatur, tum magnitudine dignitatis, quippe Septemuirûm princeps, tum Brandenburgicae familiae potentia, quae Germanicarum nulli concedit, si demas Austriacam; tum denique sincero religionis studio, quod ille, tametsi quandoque timide, semper tamen constanter exercuit. Quin per aetatem postremam, deferuescente sanguine, religionis aestus in eo reserbuerat. Casus hic molestiam aque attulit ex tanti capitis iactura, ac anxietatem ex incerta successoris electione: de qua nonnisi grauiter timendum erat, vt quae ab incerto effrenatoque vrnae arbitrio pendebat, & inter nationem, adeo vel in ecclesiasticis corruptam, habenda erat. Quapropter pro mensione ponderis ac periculi impensa opera, vt Canonici eum promouerent, cuius virtus extincti desiderium sedaret.*

SEBA-